35.3.1.12

LIBERTI FROMONDI

S. Th. Doct. & Prof. Regij, Inſig. Eccleſ. Colleg. B. Petri Lovanij Decani,

BREVIS

ANATOMIA HOMINIS

AD

EMINENTISS.mum ET REVER.mum

PRINCIPEM

D. FRANCISCVM BARBERINVM

S. R. E. CARDINALEM.



LOVANII,

Apud IACOBVM ZEGERS.

Cum gratia & permiſſu Superiorum A.º 1641.

35.3.I.14

EMINENT.mo ET REVER.mo

PRINCIPI
FRANCISCO
BARBERINO
S. R. ECCLESIÆ CARDINALI &c.

EMINENTISSIME DOMINE

MAgnitudo, qua ſupremo Eccleſiæ Capiti hodie aſſidet, & ſublimes Orbis terrarum curæ me deterrebant, ne oculos attollere, & EMINENTIAM SVAM interpellare auderem. Sed viri hîc eruditione, prudentiâ, pietate inſignes, animos & audaciam addiderunt, quia è re Eccleſiæ & publicâ id eſſe cenſebant. Vt, inquam, brevi hôc ſcripto, quando voce non licebat, ex ultimo Occidentis angulo, EMINENTIAM SVAM alloqueremur.

Rev.[mi] D. Cornelij Ianſenij Epiſcopi nuper Iprenſis in Flandria, doctrinam, id eſt, S. Auguſtini Commentarium, Romæ in Sacro Cœtu; ubi EMINENTIA SVA Caput eſt, audivimus examinari. Liber vaſtus eſt, nec niſi longo tempore, & à vacuis legendus; materia ſummis ingenijs digniſſima, imò fundamentum, cui tota Chriſtianæ Religionis moles, & vitæ cæleſtis, quam Chriſtiani vivere debent in terris, ſanctitas innititur. In ea quoque difficilia non pauca, quæ *intelligi ægerrimè, exprimi difficillimè, vix audiri ſine horrore, convinci autem facillimè, confodi acerrimè,* olim adverſus Auguſtinum jactabat Iulianus; ſua verò contrà, *abſolutiſſimis Sacræ Scripturæ auctoritatibus, & inſuperabili* humanæ Philoſophiæ *ratione firmari.*

Vt

Vt igitur non per aliena tantùm, ſed per ſublime illud ingenium, quo res hodie humani generis, ſub faſtigio MAX. & SANCTISSIMI D. N. diſponuntur, etiam iſta attingeretur, guſtulum aliquem non prolixum, nec ingratum, uti ſpero, EMINENTIÆ SVÆ offerre auſus fui; ut ſi quando à comprimentibus curis laxitas & induciæ erunt, dignetur vel leviter delibare.

Non omnia tamen, quæ Ianſenij AVGVSTINVS pertractat, ego tractavi; ſed liberi arbitrij & gratiæ concordiam, divinorumque Auxiliorum materiam, quia à SANCTISSIMO D. N. olim prohibitam, etſi nobis (ut publicum Academiæ teſtimonium eſt) nunquam, ſicut præſcriptum erat, notificatam declina-

vi. Quamquam ſcopulos etiam iſtos hîc aut ibi radere (quod faciunt omnes ſacræ Scripturæ Interpretes) obiter tranſeundo, non incidenter adhærendo, neceſſe fuit. Nec ſanè concordiæ illi conciliandæ me immorari oportuit, ſed ad Thomiſtarum tantùm concordiam Lectorem remittere. Fatetur enim alicubi apertè

Ianſ. lib. 8. c. 1. & 4. de grat. Christi.

Ianſenius, Thomiſtas *viros doctiſſimos veram S. Auguſtini ſententiam de Gratia Salvatoris vidiſſe atque tenuiſſe. Et ſi quid ei ulteriùs adiecerint, ex ſuperfluentibus humanæ Philoſophiæ exceſſibus factum eſſe, qui ad tuendam perſpectam veritatem (ſatagentis animi conceptibus naturalem ſcientiam in ſubſidium rapientibus) ebullire ſolent.* Ac deinde poſtea. *Quidquid Phyſicæ prædeterminationis defenſores pro ſua ſenten-*

ſententia protulerunt, ut liberum arbitrium ſub ea ſalvum eſſe perſuadeant; quidquid etiam ad diſſolvenda oppugnantium argumenta telaq; repercutienda moliti ſunt, pro hac ſententia dictum puta. Eodem quippe modo libertatem illã arbitrij, de qua ipſi ſolliciti ſunt, incolumem permanere ſub illo auxilio medicinali, quod S. Auguſtinus docuit, oſtendi ac defendi poteſt. Nam ferè quidquid ab adverſarijs obijci poteſt, unica illa diſtinctione ſensûs compoſiti ac divisi, quam iſti prædeterminationis Phyſicæ defenſores adhibent, ſolvi ac diſſipari poteſt.

Nulla quoque jam neceſſitas attingendi quoſdam Articulos Bullæ Pij V. & Gregorij XIII. qui doctrinæ Ianſenij & S. Auguſtini objectantur: quia Ianſenius interpretationem recipit, quam ei præivit Gabr. Vaſquez,

quez, & EMIN. CARD. BELLARMINI,
ac FRAN. TOLETI fuiſſe Vaſquius tra-
dit. Nempe quoſdam Articulos, licet
veram doctrinam continentes, pro-
hibitos tamen à Pontificibus fuiſſe,
quia ſcandalum & turbas inter Do-
ctores Academiæ Lovanienſis cie-
rent. Quam interpretandi rationem
Vaſq. 1. *contuli*, ait Vaſquez, *cum Ill.mo D. Car-*
2. d. 190. c. 18. *dinali Franc. Toleto, cum adhuc Sacri*
Palatij Concionator & Theologus eſſet
An. 1586. *qui pro hac Bulla, & damna-*
tione recipienda Lovanium miſſus fuit;
eamq́ue probavit, & germanam eſſe dixit,
propriaq́ue manu ſubſcripſit, cujus ſubſcri-
ptionis exemplar apud me adhuc eſt. Ad-
Turriā. didit verò Luiſius Turrianus Soc.
Opuſc. 15. Ieſu, Complutenſis Theologus: *In*
explicatione huius Bullæ, & ſenſûs Mi-
chaëlis Baij, magni eſſe momenti inter-
preta-

pretationem P. Gabrielis Vaſquez. Nam P. Vasquez, cùm eſſet Romæ legit Opera prædicti Michaelis, ut conſtat ex his quæ docet 1. 2. *d.* 190. *c.* 18. *Item quia de ſenſu Bullæ egit cum Card. Toleto, qui miſſus fuit Lovanium ad promulgandam Bullam. Vnde nullus negabit potiùs P. Vaſquez adhibendam fidem, quàm quibuſdam Theologis Hiſpaniæ, qui nec legerunt Opera Michaëlis Baÿ, neque omnes Propoſitiones ſeriò lectitarunt, ſed unam vel alteram, non ſatis examinato Auctoris ſenſu. Item notandum eſt, P. Suarium non legiſſe Opera hujus Auctoris, ut ipſe fatetur Prolog.* 4. *de Gratia c.* 4. *n.* 3. *Quod notandum, ut ſciamus in explicatione huius, maiorem eſſe auctoritatem P. Vaſquÿ, quàm P. Suarÿ.*

Vnde patet, damnationem & formam huius Bullæ malè à quibuſdam

comparari cum damnatione Articulorum Lutheri à Leone X. & Articulorum Wiclefi & Huſſi à Conc. Conſtantienſi.

Nam Leo omnes Articulos Lutheri, *errores contra Eccleſiæ Catholicæ doctrinam* vocat, Conc. Conſtatienſe Wiclefi *adversus religionem Chriſtianam aſſertos* dicit, Huſſus damnatur, quia Articulos ibi relatos *tanquã Catholicos aſſeruerit:* unde univerſim omnes tanquam falſi proſcribuntur.

Sed hoc ſuper omnia in Bulla Pij, & Gregorij adnotandum: In explicatione ejus ſic gubernandam eſſe doctrinæ navem, ut non in veterum Pontificum Innocentij, Zozimi, Bonifacij, Cæleſtini, Sixti, Leonis, aliorumque, & doctrinæ S. Auguſtini ſcopulos impingat; nec tanta novìſsi-

viſſimorum illorum Pontificum ſollicitudine oportet occupari, ut vetuſtiorum cura omittatur. Incredibile enim, imò impoſſibile eſt, Pontifices iſtos voluiſſe Articulos in eo ſenſu damnare, quo aſſerti à Prædeceſſoribus,& S. Auguſtino, *cujus doctrinam*, ait Ioannes Papa II. *ſecundum Prædeceſſorum meorum ſtatuta, Romana ſequitur, & ſervat Eccleſia.*

Publicè etiam conqueſtus eſt Michael Baius, ſe *quadraginta circiter Articulis, falsò impoſitis*, ab æmulis collectoribus oneratum fuiſſe, *de quibus nihil unquam cogitaviſſet.*

Præcipuam quoque conceptæ adverſus doctrinam ſuam invidiæ cauſam aiebat, quòd Scholaſticorum & Philoſophorum loquendi formulas ad Sacræ Scripturæ & SS. Patrum,

præcipuè Auguſtini, phraſim reducere conatus fuerat.

Propoſitiones tamen ejus damnatas, in Scholas & pulpita revocare, numquam mens aut conſilium Ianſenio fuit, ſed oſtendere ſolùm, in quem ſenſum explicari debeant, ne videantur ſolidiſſimam S. Auguſtini doctrinam concutere.

Filius enim Romanæ Sedis obedientiſſimus fuit Ianſenius, cui totius vitæ labores, valetudinem, & ſe ipſum erogavit. Credebat enim nihil utilius & gratius Matri ſuæ, à qua ſpiritualiter genitus erat, rependi poſſe, quàm S. Auguſtini Theologorum verticis & Coryphæi, tot difficultatibus & tenebris impeditam de gratia medicinali Chriſti Salvatoris ſententiam, ingenio, quod ei Deus excellens

lens contulerat, & ſtudio multorum annorum indefeſſo, in clariſſimam lucem expedire. Hanc doctrinam putabat his maximè temporibus, Eccleſiæ neceſſariam, ad revocandam intrò & in animi centrum, veram pietatem, & ſtabiliendum Chriſtianæ humilitatis ſolidiſſimum fundamentum.

Pari ego animo, etſi non eruditione, faculam hanc ad doctrinæ eius faciliorem intelligentiam conatus ſum accendere; ſi fortè EMINENTIA SVA dignetur eam inſpicere, cui univerſum Ianſenii Opus non vacat per negotia Chriſtiani Orbis, quæ undique in illo faſtigio circumſtãt & premunt, luſtrare. Quã, quæſo, eo animo accipiat, quo Deum Opt. Max. rogo, ut SANCTITATEM SVAM, ET EMINEN-

TIAM VESTRAM diutiſſimè & feliciſſimè in vertice illo humani generis florentes, Eccleſiæ & Reip. Chriſtianæ conſervet. Quod iterum toto corde & affectu voveo

EMINENTISSIMÆ D. S.

Humillimus & devotiſſimus Servus;

L. FROMONDVS.

CENSVRA.

HÆc Anatomia hominis, naturam ejus talem repræſentat, qualem D. Auguſtinus olim nobis deſcripſit: cujus capitalibus aliquot dogmatibus penitus intelligendis multum lucis allatura eſt. Dat. Lovanij Cal. Septemb. anno. 1641.

IACOBVS PONTANVS S. Theol. Doctor Apoſtolicus & Regius Librorum Cenſor

ANA-

ANATOMIA HOMINIS

CAPVT I.

SS. Patres Philoſophiam Platonis prætulerunt Ariſtoteli, quia divinior, & magis propinqua Chriſtianæ veritati.

I. QVantum humana Philoſophia divinæ opituletur, ac quanti ad ſolidum Theologiæ ædificium referat, quæ humanarum opinionum rudera ſubijciantur in fundamentis, nuſquam clariùs, quàm in Capitali illa gratiæ & liberi arbitrij controverſia, inter S. Auguſtinum & Pelagianos, & adhuc hodie in Eccleſia diſputata, patuit. Si enim attentè circumſpicimus, præcipua diſputationum iſtarum moles, Philoſophiæ de anima ſuperſtruitur, quæ non una apud omnes, ut rerum obſcurarum opiniones variare ſolent. Anima enim noſtra, operationes ejus, ac operandi modi inter naturæ abditiſſima ſunt; quod meritò mirum, cùm illa tam vicina nobis, ut pars noſtri præcipua ſit, & iſtas nos ipſi operemur. *Maxima quæſtio eſt*, inquit S. Auguſtinus, *cur arte non mihi opus ſit, ut eſſe in cælo Solem ſciam & Lunam & alia ſidera, & arte mihi opus ſit, ut ſciam, quando digitum moveo, unde incipiam, à corde, an à cerebro, an ab utroque, an à neutro. Vt doctore non egeam, ut ſciam, quid ſit tam longè altius ſuper me; ab alio autem homine diſcere expectem, unde agatur à me, quod agitur in me.* S. Aug. lib. 4. c. 6. De Orig. animæ.

Iſte tamen ipſe Auguſtinus, ſi quis mortalium, ſui minimè jactator, etſi *multa ſe ignorare profeſſus*, maſcula tamen veracitate, *Ego quàm multa poſſim*, inquit, *de hominis natura ſcientiſſimè diſputare, ſi explicare velim, plura volumina* Ibid. c. 1

lumina

lumina implebo. Et unde hauſerat, ut volumina iſta impleret? Nihil potuit ab Ariſtotele, cujus ſolos Prædicamentorum, & de Interpretatione Libros legerat. Aliqua fortaſſe à Platone; plurima, ſine dubio, à divina revelatione, unde etiam arcanam illam de Gratia, quæ operationibus animæ noſtræ ſic implexa eſt, ſcientiam acceperat.

Vnde nos ergo potiùs, quàm ex iſto fonte hauriamus? Ex Auguſtini Philoſophia, inquam, & divinis litteris, quo modo nobis eas ipſe eſt interpretatus. Nam quæſtiones de anima *ad Dei litteras, revocandas eſſe*, ante Auguſtinum cenſuit quoque Tertullianus. Tertul. c. 2. De Anima.

Si quid verò è profanis ſumendum, à Platonicis po-
II. tiùs, quàm à Peripateticis oportet. Illi enim plura de rationali & ſuprema animæ parte, qua propriè homines ſumus, & de Dei providentia, qua creatura rationalis & univerſum regitur, diſſeruerunt, multaque ex ſacris litteris ſuffurati exiſtimantur. Vnde Numenius Platonem, *Moyſen Atticiſſantem*, Arnobius *piè ſanctèq́, ſapientem*, alij paſſim *divinum*, aut *Philoſophorum Deum* appellant. Vnde SS. Patres hunc ferè unicum in pretio, aut certè ceterorum longiſſimè Principem habuerunt. *Plato*, inquit S. Ambroſius, *tenet inter omnes ſecularis ſapientiæ principatum*. S. Auguſtinus *Platonicos omnium Philoſophorum meritò nobiliſſimos* dicit: & alibi, *Pythagoram & Platonem eruditiſſimos atque doctiſſimos viros, multo excellentiore ceteris Philoſophiâ nobilitatos* appellat. Aliàs, *Platonicæ gentis Philoſophos* veritati tam propinquos affirmat, ut *paucis mutatis, quæ Chriſtiana improbat diſciplina, invictiſſimo uni Regi Chiſto pias cervices oporteat ſubmittere*. Alibi ait, *Si hanc vitam illi viri nobiſcum rurſum agere potuiſſent, paucis mutatis verbis atque ſententijs, Chriſtiani fierent; ſicut plerique recentiorum noſtrorumq́, temporum Platonici fecerunt*. Quàm enim in capitalibus quibuſdam dogmatibus proximè

S. Aug. lib. 10. c. 1. civit

Lib. 4. c. 3. cõt. Iul.

S. Aug. c. 4. De Vera relig.

Chriſti

85

Chriſti fidem alluſerint, ex varijs Auguſtini teſtimonijs colligi poteſt. *Platonici ſupra omnem animæ naturam*, inquit, *confitentur Deum, qui non ſolum Mundum iſtum viſibilem, ſed omnem etiam omnino animam fecerit, & qui rationalem & intellectualem, cujus generis anima humana eſt, participatione ſui luminis incõmutabilis & incorporei beatam facit.* Ac alibi: *Plato determinavit, finem boni eſſe, ſecundum virtutem vivere, & ei ſoli evenire poſſe, qui notitiam Dei habeat & imitationem, nec eſſe aliam ob cauſam beatum; ideoq; non dubitat, hoc eſſe philoſophari, amare Deum.* Et poſtea: *Ipſum verum ac ſummum bonum Plato dicit Deum; unde vult eſſe Philoſophum amatorem Dei.* Et deinde: *Hæc cauſa eſt, cur iſtos* (Platonicos) *ceteris præferamus; quia cum alij Philoſophi ingenia ſua ſtudiaq; contriverint in requirendis rerum cauſis, & quinam eſſet modus diſcendi, atque vivendi; iſti Deo cognito repererunt, ubi eſſet cauſa conſtitutæ Vniverſitatis, & lux percipiendæ veritatis, & fons bibendæ felicitatis. Sive ergo iſti Platonici, ſive quicumque alij quarumlibet gentium Philoſophi, de Deo iſta ſentiunt, nobiſcum ſentiunt.* Imò, quod magis mirum eſt, Plato agnovit, amorem iſtum Dei, homines à ſe habere non poſſe, ſed à Deo debere inſpirari. *Platoni*, ait iterum Auguſtinus, *neque naturarum omnium Auctor, niſi Deus viſus eſt, neque intelligentiæ dator, neque amoris, quo benè beateq; vivatur, inſpirator.* Hinc primis Eccleſiæ temporibus, Schola Platonis erat quoddam veluti Eccleſiæ Chriſtianæ veſtibulum. *Quorum enim ingenia*, ait Card. Baronius, *excolebantur Platonicis diſciplinis, prælibato veluti oſculo ſapientiæ, ad perfectam illius fruitionem inflammabantur.*

Lib. 8. c. 1. Civit.

Ibid. c. 9

Ib. c. 10.

Lib. 11. c. 25. Civit.

Baron. ad An. ccxxx. iv.

Vnde Ammonius Philoſophiâ Platonicus, religione Chriſtianus, Scholæ Platonis Alexandriæ ea mente regimen ſumpſit, ut diſcipulos infideles diſciplinâ Platonicâ, tanquam promulſide & guſtu quodam, Chriſtianæ fidei initiaret. Imò Platonici etiam ante Chriſtum

natum, tam ferè Chriſtiani erant, ut cum antea ſententiam ſuam, *falſorum Philoſophorum erroribus eo tempore circumlatrantibus tegere, quàm polluendam proferre maluiſſent, cum jam Chriſti nomen terrenis Regnis admirantibus perturbatiſq; crebreſceret, emergere cæperint ad proferendum atque aperiendum, quid Plato ſenſiſſet. Tunc Plotini Schola Romæ floruit*, ait Auguſtinus, *habuitq; condiſcipulos multos acutiſſimos & ſolertiſſimos viros. Sed aliqui eorum Magicarum rerum curioſitate depravati ſunt, aliqui Dominum Ieſum Chriſtum, ipſius veritatis atque ſapientiæ incommutabilis, quam conabantur attingere, cognoſcentes geſtare perſonam, in ejus militiam tranſierunt.*

S. Aug. Epi. 56.

Contra verò Peripatetici, aut Semiperipatetici, ut Porphyrius, Themiſtius, Simplicius, alijque in cogitationibus ſuis & creaturarum contemplatione evaneſcentes, in impietate ſua obſtinati manſerunt, aut ſi propius ad fidem acceſſerint, hæreſes in eam intulerunt; veluti Philoponus, hæreſis Tritheitarum magnus Auctor. Res enim naturæ infra Deum contemplari, proprium eſt Peripateticorum; nam Princeps eorum Ariſtoteles de divinis pauciſſima, plurima acutiſſimè & diligentiſſimè de terrenis, in quibus totam ſuam Philoſophiam conſumpſit. Hinc *minutiloquium & micas* ejus mordet Tertullianus, *minutiloquam ſagacitatem, & mortales de anima ſermones* Nazianzenus, *tenuem & humilem ſubtilitatem* apud Euſebium Atticus. Præter enim res naturæ, dialecticæ & diſputandi fuit ſolertiſſimus, primuſque, ut alicubi gloriatur, qui ratiocinandi omnes labyrinthos & flexus invenit, & in methodum digeſſit.

Naz. Orat. 33.

Serò tamen nomen ejus in Occidente celebratum eſt, & ſolùm à morte Petri Lombardi, qui circa An. Chriſti MCLXIV. extinctus. Paulò enim poſt, Ariſtoteles cum Averrois, qui Lombardo, æqualis fuit,

Commen-

Commentatione,& altiſſima commendatione ex Hiſpania in Gallias venit: tuncque audita primùm ſuperba illa, & Maurico typho inflata Ariſtotelis elogia: *Ariſtotelem regulam & exemplar eſſe, quod natura invenit ad demonſtrandam ultimam perfectionem humanam.* Deinde: *Ariſtotelis doctrinam eſſe ſummam veritatem; quia intellectus ejus fuit finis humani intellectus. Quare rectè dicitur, quòd fuerit creatus & datus nobis divinâ providentiâ, ut ſciremus quidquid ſciri poteſt,* Quid plura? *Nullus,* inquit, *error in eo inventus eſt uſque ad hoc tempus, quod eſt mille & quingentorum annorum. Et talem eſſe aliquem hominem, potius eſt miraculoſum, quàm humanum.* Averr.

His tam fumantibus laudibus accenſi Galli, Britanni, Germani, alijque circà, Ariſtotelem & novum ejus Commentatorem avidiſſimè complexi, & lectione devorantes, tantum in eo profecerunt, ut brevi tempore duodecim millia, qui Latinis eum Commentarijs illuſtraverint, numerata ſint, ut Franciſcus Patricius narrat. Franc. Patric. lib. 10. diſp. Peripat IV.

Theologi quoq; SS. Patrum lectionem remittentes, Magiſtri ſui Lombardi Sententias, non ex S. Auguſtino, unde præcipuè concinnatæ erant, ſed ex Ariſtotele, & ingeniorum ſuorum ſuperfœtatione interpretari, & profuſis humanæ ſapientiæ aquis, divinarum apothecarum vinum largiſſimè diluere cœperunt. Legat eos qui volet, ſi S. Thomam, S. Bonaventuram, Scotum Ariminenſem, & paucos excipiam, ſpero, dicet mecum. Tot deinde repentè periculoſis dogmatibus Theologia & Philoſophia reſpergi cœpta, ut Stephanus Epiſcopus & Academia Pariſienſis neceſſe exiſtimaverint, prolixùm illum Articulorum damnatorum Elenchum colligere; qui plerique vel ſunt ipſæ Ariſtotelis propoſitiones, vel inde brevi conſequentiâ deduci poſſunt. Anno quoque MCCIX. quo Almericus Articul Pariſie

hæreſiarcha Pariſijs damnatus, libri Metaphyſicorum
Rigord in Phil Auguſt. Ariſtotelis publicè exuſti, prohibitaque ſub pœna excommunicationis, eorum lectio; quia hæreſi Almerici favere videbantur, & ne quis inde novas excuderet. Addit quoque Cæſarius, *præceptum fuiſſe, ne quis infra triennium Libros Naturales legeret.*

Non ea mente hæc à me dicta, ut Ariſtoteli aliquid detractum velim, quẽ etiam hodie valde æſtimo, & Philoſophicâ XVI. amplius annorum Profeſſione olim colui. Fruatur ipſe laude ſua, ſed in re Dialectica præcipuè & naturæ: in divinis & quæ propè divina alludunt, lubricus & periculoſus eſt; quidquid S. Thomas, ingenioſus & benigniſſimus ejus Interpres, ab errore eum deducere plerumque conetur. Nec Ariſtotelem tantùm, ſed impium ejus Commentatorem, Ciceronem etiam, & quotquot legere potuit, cujuſcumque claſſis Auctores, errantes, in viam molli interpretatiunculâ (ea eſt Doctoris Angelici bonitas) reducit, aut facere nititur. Non ſic tamen alij. Nam *Ariſtoteles*, ait Philo, *nunquam ſanctè & piè doctus fuit*: imò,
Lactã. lib. 1. c. 5. *Deum nec coluit, nec curavit*, inquit Lactantius. *De Deo ipſe ſecum diſsidet, repugnantia dicit, & ſentit.* Et apud
Euſeb. c. 15. Præpar Euang. Euſebium Atticus: *Ariſtoteles res terrenas quidem pervadere, & quid verum in ijs, pervidere poſsit; at ſolidæ illius veritatis clarum & ſerenum lumen non ei fuit inſpicere.* Nec Philoſophi Gentiles, qui ſenſus ejus intimos ſcrutati, & optimè intellexerunt, ab erroribus eum liberant, ſed contra S. Thomæ & quorundam aliorum benigna gloſſemata, crudam & ut ſonabat ejus mentem inter-
Plutarc lib. 1. cap. 7. Placit. pretati ſunt. Exempli causâ, Deum non ubique præſentem, ſed ἐπιβεβηκότα τῇ σφαίρᾳ τοῦ παντὸς, *inſidentem ſphæræ univerſi* cenſuit Ariſtoteles: unde Dei providentiam uſque ad cæleſtia, non ultra extendiſſe Laërtius & Heſychius Mileſius referunt. Hinc ex Theologis Henri-

quez,

quez, *Ariſtoteles*, inquit, *Deum comparat cum Rege Dario,* Hen:i.]
qui majoris tantùm ponderis negotia curabat. Et dicebatur pro- c. 4. de
vidus gubernator Imperij, cùm tamen multa ignoraret de præ- fin.
ſenti, de futuro verò parum conjectaret; nec ſi prænoſſet, poſ- homin.
ſet homo Rex eventus prævisos impedire, aut in meliorem fi-
nem efficaciter ordinare. Imò Scotus & Gregor. Arimi-
nenſis, alijq; credunt Ariſtotelem cenſuiſſe, Deum ex-
tra ſe nihil intelligere, ne vileſceret intellectus ejus.
Et licet S. Thomas contrarijs teſtimonijs eum excuſet,
Durādus tamen nō de nihilo putat, fuiſſe repugnantia
locutū. Fuerit ergo in errore fortaſſe illo Ariſtoteles
quem Eliphas S. Iobo affricat: *Nubes latibulum ejus,* Iob. 22.
nec noſtra conſiderat, & circa cardines cæli perambulat. Hoc
eſt, credo, quod alicubi Lipſius noſter: *Ariſtoteles* I. Lipſ.
Dei providentiam, inquit, *non plenè & planè aſſerit, ſed* lib. 1.
obiter aliquid in Ethicis. Videtur enim timuiſſe, ne ſi c. 18. de
divina providentia humanas voluntates regeret, nimis Conſtant.
reſtringeretur, aut ſtrangularetur humana libertas, om-
niſque in futurum deliberatio & conſilium interiret.
Imò putaſſe videtur, ſi futurorum contingentium in
Deo præſcientiam admitteret, cum hominum liberta-
te, rerum etiam contingentiam everſum iri, ideoque
quod de Cicerone S. Auguſtinus, *ut liberum arbitrium* S Aug.
confirmaret, negaſſe præſcientiam futurorum; atque ita, dum lib. 5.
vult homines facere liberos, feciſſe ſacrilegos. Nam Cicero c. 9.
videtur Ariſtotelem in errore iſto ducem habuiſſe, & Civit.
Libri ejus de Interpret. diſputationem illam aſpexiſſe,
ubi negat alteram propoſitionum contradictoriarum
ſingularium de futuro contingenti, eſſe ab eterno de-
terminatè veram: *Quia*, inquit, *ſi ex omni tempore res*
ſic ſe habuit, ut una eſſet vera, neceſſe fuit eam fieri. Si quis Ariſt.
enim verè dixerit, aliquid fore, id non poteſt non fieri. At- c. 10. de
que ita, *Omnis è vita*, ait, *tolletur & deliberatio & actio.* Interpret.
Ac deinde in fine concludens: *Ex quo efficitur*, inquit,

non

non neceſſe eſſe, in enuntiationibus contradictorijs, alteram veram eſſe, alteram falſam. Non enim eſt eadem ratio eorum quæ ſunt in rerum natura, & eorum quæ nondum ſunt, eſſe autem, vel non eſſe poſſunt.

Quæ tam aperta in tanto ingenio allucinatio, certè eſt admirabilis. Scio, qui errorem iſtum benignâ interpretatione tentarint corrigere; ſed violentâ, ut mihi videtur, & ipſa Ariſtotelis ratiocinatio ſatis videtur omnem correctionem refellere. Ex eodem Ariſtotelis fonte Articulus iſte à Pariſienſibus damnatus: *Quòd aliqua poſſint caſualiter evenire reſpectu primæ cauſæ: & quod falſum eſt, omnia eſſe præordinata à prima cauſa; quia tunc evenirent de neceſſitate.* Indidem etiam error Petri de Rivo, Philoſophi quondam hujus Academiæ damnatus olim à Sixto IV. Pont. Maximo. Ex libro enim illo Ariſtotelis de Intepret. hoc ſibi axioma exſculpſerat: *Quod ex inimpedibili per neceſſariam ſequitur conſequentiam, hoc inimpedibile eſt ac neceſſarium.*

Sed ſi Ciceroni credimus, Ariſtoteles majora multa circa Dei eſſentiam peccavit. *Ariſtoteles in tertio de Philoſophia libro*, inquit iſte, *multa turbat à Magiſtro Platone* Cic. lib. 1. de Nat. deor. *uno diſſentiens. Modò enim menti tribuit omnem divinitatem, modò Mundum ipſum Deum dicit eſſe, modò alium quendam præficit Mundo, eique eas partes tribuit, ut replicatione quadam, Mundi motum regat atque tueatur: tum cæli ardorem Deum dicit eſſe, non intelligens, cælum Mundi eſſe partem, quem alio loco ipſe deſignaverit Deum.* En magnorum ingeniorum, in re tanti momenti, fluctus, hæc caligo inſpicienti Solem oborta, qui in rebus inferioribus tam clarè videt. Sed Deus ingeniorum dona in homines variè diſpergit, & unum rebus naturæ, alterum divinis meliorem & ingenioſiorem facit.

VI. Sit ergo Ariſtoteles *Naturæ Genius*, ſit *longè omnibus præſtans & ingenio & diligentia*; ſed *Platonem ſemper excipio*, in-

plo, inquit Cicero. Et alibi etiam magis cunctanter: *Ariſtoteles Peripateticorum Princeps, quem excepto Platone, haud ſcio, an rectè dixerim Principem Philoſophorum.* Sed ſit noſtro etiam ſuffragio, nec ullâ Platonis exceptione, longiſſimè Princeps; ſed in re, ut antè dixi, Dialecticâ & naturæ, in divinâ longiſſimè cedat Platoni. Vnde conſultè veteris Eccleſiæ Patres, pro Chriſtianorum dogmatum defenſione, multa è Platone potiùs, tanquam viciniore ſumpſerunt, neglecto Ariſtotele. Cic. lib. 1. Tuſcul. lib. 5. de fin.

CAPVT II.

Platonici, & qui de Dei providentia rectè ſenſerunt Philoſophi, animos noſtros, ob aliquod vitæ ſuperioris peccatum, incluſos cenſuerunt tam rebelli & in vitia prono corpori.

ARiſtoteles cùm homines, ut bruta, naſci, denaſci, perturbationibus animi, & omnibus mortalis vitæ miſerijs ſubjectos videret, nec oculum ſurſum ad Dei providentiam, quæ creaturam rationalem condidit regitque, reflecteret, putavit hanc eſſe naturam hominis nati, non pœnam damnati: id eſt, Pelagio hæreſis ſuæ fundamentum projecit, quo ille peccatum originale ſuſtulit, negavitque concupiſcentiam, ignorantiam, & cetera quæ patimur jam mala, ex peccati alicujus fonte, ſed ex natura ipſa, ut condita eſt à Deo, promanare. Conſideravit enim hominem & ejus anatomiam, ut ferè Medicus aliquis, qui membra, humores, & complexionem, quantum ſatis eſt ad ſanitatis & ægritudinis proximas cauſas cognoſcendas, contemplatur. Et licet Ariſtoteles ad operationes animæ ſpirituales, & ejus immortalitatem, I.

cogitationes ſuas extenderit; de fine hominis tamen, & providentia Dei, qua eum in finem ſuum transmittit, parùm fuit ſollicitus. Vnde hac Ariſtotelis Philoſophia armatus Iulianus, contemptim & cum riſu argumenta S. Auguſtini excipit, quibus ex humanis illis miſerijs peccatum aliquod primi parentis colligit; conſequentiâ tamen, ut putabat Auguſtinus, invictâ, quæ ex effectibus cauſam certò demonſtraret. Nec enim ab alia cauſa, quàm à peccato, illos effectus effluere poſſe exiſtimabat.

II. Plato contrà, ad Dei univerſum gubernantis providentiam reſpiciens, incredibile judicavit, hominem ſine antecedente culpa ſic naſci, ſic vivere, ſic mori. Vnde animas noſtras ante corpora in ſideribus conditas, & propter aliquod ibi peccatum, in corpora tanquam in carceres, ad pœnam deprimi credidit. Hinc M. Cato ex hac diſciplina Platonis: *Eſt animus cæleſtis*, inquit, *ex altiſſimo domicilio depreſſus, & quaſi demerſus in terram, locum divinæ naturæ æternitatique contrarium*. Vnde Plato aiebat, *σῶμα corpus*, quaſi *σῆμα ſepulchrum* animæ appellari.

Apud Cic. de Senec.

Niſi enim culpa aliqua præceſſiſſet, capere non poterat, quomodo ſapientia & bonitas conditoris rationalem animam concupiſcentiæ inſatiabilis tyrannidi, & tot hujus vitæ malis, ſine ullo reſiſtendi remedio ſubjeciſſet. Homo enim, ut jam naſcitur, eſt inſtar Hippocentauri, ex rationali & irrationali mixtus, aut inſtar Virgilianæ Scyllæ,

Prima hominis facies, & pulchro corpore virgo
Pube tenus, poſtrema immani corpore piſtrix,
Delphinum caudas utero commiſſa luporum.

Prima illa hominis pars eſt ratio, *cui committitur futilis caro, & fluida, & receptandis tantùm cibis habilis*, inquit ex Poſidonio Seneca. Ac deinde: *Virtus illa divina in lubricum*

Senec. Epiſt. 92.

bricum deſinit, & ſuperioribus ejus partibus venerandis atque cæleſtibus, animal iners ac marcidum attexitur. Et poſtea: *Quæ invenietur tam diſcors inter ſe junctura corporum? Fortiſſima rei inertiſſima adſtruitur, ſeveriſſima parùm ſeria, ſanctiſſima intemperans uſque & indigeſta,*

Plinius hanc animi & corporis juncturam, & miſerias inde conſequentes admirans, nec ferens: *Hominem nudum,* inquit, *& in nuda humo, natali die natura abjicit ad vagitus ſtatim & ploratum, nullumq; tot animalium aliud ad lacrymas, & has protinus vitæ principio. Itaque feliciter homo natus, jacet manibus pedibuſq; devinctis, flens animal ceteris impetraturum, & à ſuppliciis vitam auſpicatur.* Sed qua de cauſa? Quid commiſit nobile & Regium iſtud animal? *Vnam tantùm ob culpam,* inquit, *quia natum eſt.* Hoc eſt, nullam profectò ob culpam, ſed injuſto & novercali naturæ odio; quia naſci, culpa non eſt. Ita Plinius, qui nec peccatum originale noverat, & animas ante corpora fuiſſe & peccaſſe, cum Platonicis non conſentiebat. Plin. lib 7. Procem

Exequitur deinde pari indignatione vitia, quæ à corpore aſcendunt in animam. *Vni animantium luctus eſt datus, uni luxuria, & quidem innumerabilibus modis, ac per ſingula membra.* Ac paulò pòſt: *Nulli vita fragilior, nulli rerum omnium libido maior, nulli pavor confuſior, nulli rabies acrior. Denique cetera animantia in ſuo genere probè degunt. Congregari videmus & ſtare contra diſſimilia: leonum feritas inter ſe non dimicat, ſerpentum morſus non petit ſerpentes; ne maris quidem belua ac piſces, niſi in diverſa genera ſæviunt. At herculè homini plurima ex homine ſunt mala.*

Ariſtoteles quoque, ut ingenio acer & magnus erat, vidit & Magiſtro ſuo Platoni aſſenſus eſt aliquando, æquum non eſſe, homines innocentes ſic naſci, & ſub tyrannide concupiſcentiæ vivere. Vnde ſuſpicatus videtur, immortales eorum animos ſupplicia culpæ ali- III.

 cujus

oſtreis obſitum viderit, non marinum, ſed ſilveſtre potiùs animal opinabitur; ſic nos, dum animam terrenis affectibus & habitibus diſtractam confuſamq́ videmus, terrenum quiddam potiùs, quàm cœleſte nos videre putamus.

Simili comparatione Plotinus Platonicus, *Anima humana*, inquit, *paſſim ab ijs raptata quæ ſenſibus incidunt, plena eſt corporis labe: ita ut fermè ſpeciem ſuam in ſpeciem alteram commutaverit, perinde ac ſi quis limo cœnoq́ involutus, non ampliùs priorem pulchritudinem præferat.* Plotin. Ennead.1.lib. 6.c. 5.

Cum autem tam multas & variantes in vitia pronitates, & ærumnas animorum cernerent, non ſuffecit ipſis dixiſſe, ante corpora ſua creatos, & tunc peccaſſe; ſed quæ in corpore priori deliquiſſent, luere etiam in poſteriori. Vnde μετεμψύχωσιν, *tranſanimationem*, qua è corpore uno in aliud animę trāſmigrarent, induxerunt. Hanc autem non tātùm Plato, Pythagoras, Empedocles, ſed etiam Indorū Gymnoſophiſtæ, Gallorum Druidæ, Iudæorum Phariſæi, Germanorum & omnium pænè gentium Sapientes, eadem de cauſa docuerunt. Adeò pronum & naturale eſt, in animas rationales & præſtantiſſimas Dei imagines, niſi propter præcedens aliquod peccatum, miſerias illas non cadere.

CAPVT III.

Vnde illa pronitas animæ noſtræ in res terrenas, ſi ſibi relinquatur.

SEd quæ cauſa, ut nobilis creatura à corpore ſuo ſic depravetur? Dicit Marſ. Ficinus, qui non ita pridem Philoſophiam Platonicam collapſam, in Italia inter primos inſtauravit. *Cum rationalis anima*, inquit, *ſic illigetur corpori, ut ex ea & corpore unum animal componatur, meritò à materia mox inficitur, adeò ut & paſſionibus fiat obnoxia, & motus immoderatos more corporis ſubeat,* Marſ. Ficin. in Plot.

 in ex-

in exceſſum atque defectum. Eandem Philoſophiam nos
Lib. de docet Auguſtinus, aut quiſquis Libri *De ſpiritu & anima*
ſpir. & eſt Auctor. Ait enim, corruptionem carnis *animæ re-*
anima *fundi, quia carni ita unitur anima, ut cum carne ſit una per-*
c. 41. *ſona.* Ac deinde: *Auctore Deo fit caro & anima unum individuum, unus homo: unde ſalva naturæ utriuſq; proprietate adjicitur carni quod animæ eſt, & animæ quod carnis eſt, pro unitate perſonæ, non pro diverſitate naturæ.* Sed rem iſtam magis explicatè dicamus.

II. Anima humana tres gradus, vegetativum, ſenſitivum, rationalem in ſe continet. Duo priores in materiam altè ſunt immerſi, omneſque ſuas operationes in ea & per eam excercent: unde tertium rationalem ita deor-
S. Aug. ſum in corpus detrahunt, *ut defectivo appetitu quodammo-*
cap 11. *do corporaſcat,* ait S. Auguſtinus. Nam licet anima noſtra
contra ſit ſpiritualis & immortalis, propter tamen arctiſſimam
Secund. illam gradus rationalis cum vegetativo & ſenſitivo cōjunctionem, imò identitatem, ita à ſenſibus corporis, & appetitu ſenſitivo, ad ſenſibiles & infimas voluptates rapitur & deprimitur, ut niſi à Deo ſupernè elevetur, erigere caput & aliquid cæleſte & verè bonum reſpi-
Pſal. 3. rare non poſſit; meritoque divinus Pſaltes clamet, *Tu Domine gloria mea, & exaltans caput meum*: id eſt, *ſpiritum meum, quod eſt caput animæ & carnis,* ut S. Auguſtinus explicat. Quia enim anima hominis ſenſitiva in motibus & affectibus ſuis temperiem ſui corporis ſequitur, & gradus rationalis altiſſimè & per identitatem intra gradum ſenſitivum immergitur, non mirum eſt, ſi ſenſitivus rationalem ita detrahat, ut ſecundum temperiem
Pſal. 31 corporis operetur, & ratio ſequatur imaginationem,
S. Aug. voluntaſque concupiſcentiam, & eaſdem corporis paſ-
lib. 1. c. ſim voluptates magno impetu proſequatur, & dolores
29 de fugiat, fiatque *ſicut equus & mulus, in quibus non eſt intelle-*
pecc. merit. *ctus.* Concupiſcentia enim *totum animum in ſe dejectum*

conatur

conatur attrahere, ait Auguſtinus, *& neque cum mens volue-
rit, exurgit, neque cum mens voluerit, conquieſcit.* Quod
Venereæ voluptatis exemplo alibi facilè probat, quæ S. Aug.
in ipſo opere, inquit, *neminem permittit aliquid, non dico ſa-* lib. 3.c.
pientiæ, ſed cujuſlibet rei aliud cogitare. Nam *ipſius mentis,* 14.cont.
ait, *quadam ſubmerſione illud extremum animi expletur.* Idem Iul.
clarè apparet in urentibus & maximis corporis dolo-
ribus, à quibus etiam nullo conatu voluntas ſe expedire
poteſt. Alijs autem affectibus corporis non tam brutis
& impotentibus, ſi non illâ vi abripitur animus, ſedu-
citur tamen paſſim, & luto corporis ſui quaſi implici-
tus, in rebus terrenis cogitandis & amandis detinetur.
Iſta enim eſt miſeria & ignobilitas, immortalis quidem,
ſed infimi ſpiritûs, qui natura ſua terreno corpori alli-
gatur.

Imò, quo gradus animæ ſenſitivæ in homine, quàm III.
in brutis, eſt nobilior, eo latiùs quodammodo patet, &
pluribus vijs ad malum currit, & rationalem partem
ſecum rapit. Hinc Plato, inquit Galenus, appetitum Galen.
hominis inferiorem, *belluam variam & multiplicem* appel- lib.6.de
labat. Et vetus Zoroaſtris verſus, plac.
Hipp.&
Plat.

Σὸν γὰρ ἀγγεῖον θῆρες χθονὸς οἰκήσουσι,
Tuum vas beſtiæ terræ inhabitant.

Non una enim, ſed plurimæ beſtiæ ſunt in uno corpo-
re humano: id eſt, inclinationes ad iram, libidinem,
gulam &c. & quæ ſingulæ ferè in ſingulis brutis, in
homine ſunt univerſæ. *Motus enim ſenſuales*, ait Gerſon, Gerſon
in brutis ſingulis variantur ſecundum naturam hujus ſpeciei lib.2.de
vel illius, quos omnes in hominibus quodammodo aggregatos conſol.
inſpicimus. Iram enim leonis, invidiam canis, porci gu- Theol.
lam, Venerem leporis, &c. habemus. Et in hujus rei
fortaſſe indicium, ex variorum brutorum ſimilibus
partibus compoſiti ſumus. Nam ventriculus noſter fi-
gurâ eſt caninus, hepar & renes bovini, alvus & lien
porcini,

porcini; cerebri, quod eſt arx mentis, ſimiles in omnibus animalibus conformatio & ventriculi: ac tota hominis temperies tam propinqua porcinę, ut hac ſimilitudine deceptus Galenus, putaverit carnem ſuillam homini ſaluberrimam, tanquam proximam humanæ, & minimo facultatis concoquentis labore, in ſubſtantiam noſtram converti.

Galen. lib. de animæ mortal. Hæc animo volvens Galenus, *Stoicos admiror*, inquit, *qui homines univerſos ad virtutem adipiſcendam habiles eſſe opinantur, ſed ab aliјs quibuſcum vivunt, à recto itinere detorqueri.*

Plat. in Timæ. Vnde magis aſſentitur Platoni, qui ait, ex pravo corporis habitu animas vitioſas reddi. Sed cum Galenus cerneret eas in omnes affectus & animi morbos, temperamento ſui corporis tam obnoxias eſſe, *Ingens mihi jam oboritur ſuſpicio*, ait infelix, *ut totam animæ ſubſtantiam, corpoream eſſe credam.* Ex eadem quoque animi in vitia corporis pronitate, Athei, Cyrenaici, & Epicurei, animos mortales, & voluptates corporis, homini, ſicut brutis, naturales, & ſine ullo dedecore ijs indulgere, licitū eſſe cenſuerunt. Vnde Theodorus Atheus, *Sapientem publicè abſq; ullo pudore ſcortis congreſſurum*, aiebat. *Furto quoque, adulterio, ſacrilegio, cùm tempeſtivum erit, daturum operam. Nihil quippe horum turpe naturâ eſſe, ſi auferatur vulgaris opinio, quæ è ſtultorum*, inquiebat, *& imperitorum plebeculâ conflata eſt.* Similia Ariſtippus & Cyrenaici. *Nihil naturâ eſſe turpe: voluptatem præterea bonum eſſe, etiamſi à rebus turpiſſimis proveniret.* Eadem Epicurei, *homulli ex argilla & luto ficti*, ait Cicero. E ſecta Cynicorum bonus Diogenes dicebat, *Mulieres communes eſſe oportere, nuptias nihil eſſe, ſed ut quiſque cuique perſuaſiſſet, ita cum ea congrederetur.*

Laert. Cicero Orat. in L. Piſon Laert.

V. Hæc autem omnia probabant, ex effreni impetu, quo homines in vitia iſta ſpontè feruntur. Et quàm naturalia

92

turalia eſſent, conſtare maximè aiebant, ex ætate puerili, innocenti tamen, ut putabant, & nulla adhuc morum pravitate corrupta. Nam pueri aiebat Ariſtippus, in omnibus rebus tam turpibus quàm honeſtis, ſine diſcrimine, voluptatem ductu naturæ conſectantur.

Nec ſanè conſequentiam eorum improbat, ſed ſi nullum (quod illi exiſtimabant) peccatum originis eſſet, vehementer probat Auguſtinus. *Nam ſi non eſt iſta pœna hominis, ſed natura*, inquit, *nulla iſta peccata ſunt*, quibus indulgent illi, qui à concupiſcentia ſua abſtracti & illecti, voluptatibus conſentiunt. *Si enim*, ait, *non receditur ab eo modo, quo naturaliter homo factus eſt, ita ut melius eſſe non poſſit* (Deus quippe optimum ſemper facit, ut Cap. ſeq. dicemus) *ea quæ debet facit, cùm hæc facit*. Et acrius rem iſtam premens: *Quia bonum eſt quod natuturaliter libet, ſi adſunt, voluptatibus perfruatur homo, ſi autem non adſunt, ipſis earum cogitationibus, ſicut Epicuro viſum eſt, oblectetur, & erit ſine peccato, nec ſe ullo fraudabit bono: nec, cujuſque doctrina opinionibus, reſiſtat naturalibus motibus, ſed ſicut ait Hortenſius, tunc obſequatur naturæ, cum ſine magiſtro ſenſerit, quid natura deſideret. Non enim poteſt quæ bona eſt* (qualis erit, ſi à Deo primitus ſic eſt facta, ut cum Ariſtotele cenſebant Pelagiani) *deſiderare quod malum eſt, aut negandum eſt bona aliquod bonum. Fiat itaque totum quod deſiderat libido bona, ne ipſe ſit malus qui reſiſtit bono*. Si enim homini, ut paſſeribus, naturalis eſt Venus & libido, ut Iulianus adverſus Auguſtinum contendit; profectò ſicut in paſſere non eſt inhoneſta, imò eſt quædam naturalis beatitudo paſſeris; ita nec in homine peccatum verum, aut dedecus erit. Vnde in Iuliani & Pelagianorum Philoſophia, ſi Auguſtinum audimus, ſequitur hæc rerum catena:

S. Aug lib. 1. c. 9. Retract.

S. Aug. lib. 5. c. 5. cont. Iul.

VI. Si Deus hominem Ariſtotelicùm in puris naturalibus condidiſſet, concupiſcentia, libido, & omnium re-

rum terrenarum appetitus, cenſeri deberent homini eſſe abſolutè naturales. Si naturales; ergò à Deo ſunt, ut Auctore naturæ, pondus ac pronitatem ad libidines illas imprimente. Si autem à Deo; ergò bonæ ſunt & laudabiles, quia Deus hominem ſollicitare & inclinationem addere ad malum non poteſt. Si verò bonæ ſunt, & aliqua providentia eſt in Mundo, Deus tales remunerari, non punire debet. Nemo quippe, niſi tyrannus, bona opera punit.

Si dicant, libidinem & inclinationem ad illicitas voluptates eſſe contra rationem, ſeu partem animæ ſuperiorem, quæ non debet obedire inferiori; profectò fallentur. Nam obedire debet, reponet Auguſtinus, ſi pondus illud effrene partis inferioris, ab initio, naturæ inditum eſt, nec addita eſt parti ſuperiori gratia, qua valeat ipſum refrenare. Vnde quando pars ſuperior ponderis iſtius inclinationi obedit, Deo obedit.

VII. Ianſenij adverſarij diſcurſu iſto compreſſi, concedunt tandem, Deum debuiſſe hominem in ſtatu naturæ puræ ſic condere, ut pondus inferioris partis, per habitus naturalis ordinis ſic refrenaretur, ut regi poſſet à ſuperiori. Sed ecce jam, cùm totis viribus contendunt allidere Ianſenium ad LIII. Articulum Bullæ Pij V. & Gregorij XIII. in eundem ipſi impingunt. Damnat enim Bulla hanc ſententiam: *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.* Profectò autem homo jam non naſcitur veſtitus habitibus naturalis ordinis, quibus pars inferior refrenetur, & imperio ſuperioris ſubdatur.

Itaque ipſis perinde ac Ianſenio incumbit ſatagere (ſicut ab eo factum eſt) ut ſcopulum iſtum damnationis Pontificiæ evitent. Solùm verò in hoc diſtant à Ianſenio, quòd negent opus fuiſſe gratiâ ſupernaturali, ut talis homo Deum propter Deum, etiam ut Auctorem

rem

rem naturæ amaret; hoc autem Ianſenius affirmet: quia Auguſtinus, & Concilia videntur abſolutè dicere, neceſſariam eſſe gratiam ad amandum puro amore Deum, non diſtinguendo, an ut naturalium, an ut ſupernaturalium donorum Auctorem.

CAPUT IV.

S. Auguſtinus hominem cum rebelli concupiſcentia, ceteriſque humanis miſerijs condi à Deo non potuiſſe, aſſeruit tanquam certiſſimum.

Igitur ne inclinatio concupiſcentiæ ad malum Deo I.
Auctori naturæ tribueretur, Auguſtinus exiſtimat Deum potuiſſe quidem, quantum eſt ex parte potentiæ, hominem ab initio condere, qualis jam naſcitur, in ſe diſſutus, deformis, cum concupiſcentiâ rationi rebellante, ac ceteris humanis jam miſerijs ſubjectus; non potuiſſe tamen, quantum ex parte ſapientiæ & bonitatis, quæ Dei potentiam regit. Debuit ergo non creaturæ ſuæ, ſed ſapientiſſimæ providentiæ ſuæ, ut primum hominem in gratia originali, qua pars inferior ſuperiori obedienter religaretur, conderet. Hoc innumeris locis S. Auguſtinus, tanquam rem certiſſimam, & ut diligentiſſimus & fideliſſimus ejus diſcipulus Cor. Ianſenius loquitur, *tam irrefragabilis evidentiæ* Corn.
eſſe cenſuit, adverſus Gentilium Philoſophorum ignorantiam, Ianſ.
qui non dubitabant hunc miſeriarum ſtatum eſſe homini natu- lib. 3. c.
ralem; & adverſus Pelagianorum commenta, qui eas puræ na- 7. de
turæ tribuebant; & adverſus Manichæorum inſaniam, qui eas ſtat. pu-
ex naturæ malæ commixtione fluere delirabant; ut nihil omnino, ræ nat.
vel ex proprijs eorum erroneis principijs, quibus adhærebant, reſponderi poſſe judicaret.

II. Plurima deinde Janſenius colligit & denſat S. Auguſtini teſtimonia,quæ non opus reſcribere.Hoc unum ſufficiat: *Homo nunc*, inquit Auguſtinus, *non habet in poteſtate, ut bonus ſit: ſive non videndo, qualis eſſe debeat* (propter vulnus ignorantiæ) *ſive videndo, & non valendo eſſe* (propter vulnus concupiſcentiæ) *qualem debere eſſe ſe videt. Pœnam iſtam eſſe quis dubitet? Omnis autem pœna ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur. Si autem injuſta eſt pœna, quoniam pœnam eſſe nemo ambigit, ab injuſto aliquo dominante homini impoſita eſt.* Hinc, quia Deus naturæ conditor, juſtiſſimus eſt,colligit pœnam illam juſtam eſſe, ac proinde neceſſariò præceſſiſſe aliquod peccatum, cui pœna illa juſtè à Deo infligatur. Vnde per conſequens,ſi nullum peccatum originis anteceſſit, per divinam & juſtam providentiam fieri non potuit, ut homines duobus illis vulneribus claudicarent. Claudicarent autem ſine ullo peccato & malo ſuo merito, ſi in ſtatu puræ naturæ, rectitudine deſtituti crearentur; etiamſi tunc pravitas illa, quia nulla præceſſiſſet integritas, vulnus non appellaretur.

S. Aug. lib. 3. c. 18. de liber. arbit.

Nam *ſententia omnium Theologorum eſt*, ait Medina, *inter hominem conditum in puris naturalibus, & inter hominem lapſum, nihilo amplius differre* (*excipio culpam*) *quàm inter hominem nudum, qui nunquam fuit veſtitus, & inter hominem exſpoliatum veſtibus, quibus indutus fuerat.* Vnde omnes naturæ lapſæ imperfectiones, quas jam diſcopertas videmus, apparerent eędem in natura pura, olimque apparuiſſent in Adamo, niſi ſub gratia originali, tanquam veſte, delituiſſent. Hinc S.Thomas nullam aliam naturæ per peccatum vulnerationem agnoſcit, quàm harmoniæ diſſolutionem, & virium animæ declinationem, ex nuda juſtitiæ originalis detractione naturaliter ſecutam. Nam eo ipſo vires animæ, inquit, *remanent deſtitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem. Et ipſa deſtitutio, vulneratio dicitur naturæ.* Et aper-

Barth. Medin. 1. 2. 5. 85. a. 3.

S.Tho. ibid.

apertiſſimè interpres ejus Medina.

Certè, inquit, *differt inter appetitum ſenſitivum poſt lapſum, & in puris naturalibus, ſicut inter molem, quæ priùs impedita, ab alto cadit, & inter molem, quæ inde cadit, nunquam priùs impedita: quæ duæ moles æquali impetu deſcendũt.* Quòd ſi verò æquale ad malum pondus naturæ puræ, & naturæ lapſæ eſt; igitur egregiæ dotes, quas naturę lapſę appingit Medina (& nimis veras experimur) potuerunt eſſe in natura pura innocente, qualem primò condere potuit ſapientiſſimus opifex, ſi Medinæ & alijs credimus. *Nempe homo degener, & à nobilitate ſui generis abhorrens, qui fiat beſtia, & in beſtiarum tranſeat conſortium. Nam ut prætermittam multa,* inquit, *in quibus homo beſtijs ſit comparatus, certè quemadmodum beſtiæ nihil amant, nihil quærunt, nihil deſiderant, niſi bona hæc ſenſibilia, quia aliorum bonorum capaces non ſunt; ſic homines culpa ſua, & magno errore ſuo in conditionem & ingenium beſtiarum tranſierunt. Siquidem nihil cogitant, nihil expetunt, nihil curant, nihil docent, nihil ſapiunt, niſi bona terrena: non recolunt ſe homines natos, non quòd uſum rationis à Deo acceperint, non quòd lumen divinæ ſapientiæ illis effulſerit, non divinæ legis præcepta conſiderant, ſine ſpe alterius vitæ viventes, veluti pecudes, omnia bona & mala ex utilitate & detrimento corporis metientes. Qui tametſi rationem habeant & intellectum, in quibus pecudes ſuperant, dic tamen obſecro, quid prodeſt illis habere, niſi ut nobiliſſimæ iſtæ potentiæ carni & ſenſibus deſerviant? Propter quod homo, omnium beſtiarum infeliciſſimus, non ſolum in beſtiam tranſit, ſed beſtia peior efficitur. Beſtia enim ſemel beſtia eſt; homo verò bis beſtia efficitur, tum appetitu, tum ratione. Ratio enim captiva tenetnr, ut carni & ſanguini deſerviat.*

III. Barth. Medin. ibid.

Bellè pictorem egiſti, mi Medina; ſed S. Auguſtinus nunquam credere valuit, tam deformem imaginem, nullo adhuc peccato conſpurcatam, exire potuiſſe è primis manibus tam ſapientis & excellentis artificis.

IV. Fruſtra igitur vulnera iſta non eſſe pœnas, ſed naturales imperfectæ naturæ defectus clamant Pelagiani. *Pœnam enim iſtam eſſe quis dubitet?* clamat Auguſtinus. Sed unde tibi, Sancte Doctor, tam fixum id & extra omne dubium? Quia *ſi peccatis animarum detractis*, inquit, *miſeria perſeverat, aut etiam peccata præcedit, rectè deformari dicitur ordo atque adminiſtratio Vniverſitatis.* Sapiens autem providentiâ Dei perturbato & deformi ordine Vniverſum condere non potuit, quia *omnia in menſura, & numero & pondere diſponit*, & *æternâ lege iuſtum eſt*, ait Auguſtinus, *ut omnia ſint ordinatiſſima.*

S. Aug. lib. 3. c. 9. de liber. arb.

Sap. 11.

Lib. 1. c. 6. de liber. arb.

Vnde *Creaturis præſtantiſſimis, hoc eſt, rationalibus ſpiritibus hoc præſtitit Deus, ut ſi nolint corrumpi, non poſſint, id eſt, ſi obedientiam conſervaverint ſub Domino Deo ſuo, ac ſic incorruptibili pulchritudini eius adhæſerint.* Lex enim æterna & naturæ eſt, *ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari iubens, perturbari vetans. Contra verò illam ſummam naturæ legem tam Deus nullo modo facit, quàm contra ſeipſum non facit.* Contra verò ſeipſum tam facere non poteſt, quàm *ſeipſum negare non poteſt.* Sic etiam *contra ordinem ſapientiæ & iuſtitiæ ſuæ, pœnam alicui remittere non poteſt*, ait S. Thomas.

S. Aug. c. 7. de nat. boni.

S. Aug. lib. 22. c. 27. cont. Fauſt.

Et lib. 26. c. 3.

S. Tho. lect. 3. 2. Tim. 2

Ordo autem naturalis eſt, ut corpus cum affectibus ſuis ſubjiciatur animæ, anima Deo, non è contra; cùm *præſtantius imperio deterioris premi, omnium ſit iniuſtiſſimum*, inquit Nazianzenus. *Neque enim nulla eſt iniquitas*, ait Auguſtinus, *cùm in uno homine vel ſuperiora inferioribus turpiter ſerviunt, vel inferiora ſuperioribus contumaciter reluctantur, etiamſi vincere non ſinantur.* Nonne etiam malè & imprudenter Legiſlator civitatem inſtitueret, in qua nulla, aut tam modica auctoritas Magiſtratui in ſubditos concederetur; ut eos rebellantes compeſcere non poſſet? Vnde egregiè S. Thomas: *Si quis*, ait, *rectè conſideret, ſatis probabiliter poterit æſtimare, divinâ providen-*

Naſ. Orat. 1.

S. Aug. lib. 6. c. 8. cont. Iul.

S. Tho. lib. 4. c. 52. cōt. Gent.

tiâ ſup-

tiâ ſuppoſitâ, quæ ſingulis perfectionibus congrua perfectibilia adaptavit; quòd Deus ſuperiorem naturam inferiori ad hoc conjunxit, ut ei dominaretur: & ſi quod hujus dominij impedimentum ex defectu naturæ contingeret, ejus ſpeciali & ſupernaturali beneficio tolleretur: Vt ſcilicet, cùm anima rationalis ſit altioris naturæ quàm corpus, tali conditione credatur corpori eſſe conjuncta, quòd in corpore aliquid eſſe non poſſit contrarium animæ per quam corpus vivit. Et ſimiliter, ſi ratio in homine appetitui ſenſuali coniungitur & alijs potentijs ſenſitivis, quòd ratio à potentijs ſenſitivis non impediatur, ſed magis ijs dominetur.

Quod etiam de magno Mundo S. Thomas docet, V.
primæ hominis μικροκόσμȣ creationi, jure applicare poſſumus: *Vniverſum* (*ſuppoſitis iſtis rebus*) *non poteſt*, inquit, *eſſe melius, propter decentiſſimum ordinem his rebus attributum à Deo, in quo bonum Vniverſi conſiſtit. An autem*, addit Chryſoſtomus, *qui rebus inanimatis tantum oſtendit ordinem, tantamque congruentiam fecit, in nobis quorum gratiâ cuncta creavit, tantam temeritatem inſtituit? Velutì ſi quis domui, ut præclaro ſit opere mirabilis cautè provideat, eos verò qui inhabitaturi ſunt negligat.* Imò multo magis inquilinum domus, quàm domum inſtruere & decentiſſimè componere debuit. Nam licet Dei providentia ad omnes creaturas ſe extendat, *Oportet tamen*, ait S. Thomas, *aliquam rationem providentiæ ſpecialem obſervari circa intellectuales & rationales naturas. Præcellunt enim alias & in perfectione naturæ, & in dignitate finis. Sola enim creatura intellectualis ad ultimum finem Vniverſi ſua operatione pertingit, cognoſcendo & amando Deum.*

S. Tho. 1. p. q. 25. a. 6.

Chryſ. Hom. 1. in 1. Tim.

S. Tho. lib. 3. c. 111. contra Gent.

Et hinc naſcitur altera ratio, cur Deus non tantùm concupiſcentiam & partem inferiorem hominis refrenare debuerit, ſed etiam partem ſuperiorem per gratiam elevare, ut ad finem ſupernaturalem, cujus inchoativè capax erat, pertingere poſſet. Si enim homo

ad ultimum finem Vniverſi ſua operatione pertingit, & ſingulis perfectionibus congrua perfectibilia adaptat Deus, ut antè S. Thomam aſſerentem audivimus, nec finis ille, qui Deus eſt, niſi per gratiam ſupernaturalem vero & caſto amore attingi poſſit (quod tamquam certiſſimum S. Auguſtinus ubique docet, aut ſupponit) profectò gratiâ ſupernaturali donari homo primus debuit, ut ad finem illum pervenire poſſet, quò inchoatâ quâdam naturæ capacitate deſtinatur; aliàs Deus hominem, ut avem ad volandum creaſſet, nec tamen alas neceſſarias addidiſſet.

VI. Hominem verò ultimi finis, & beatitudinis quæ in ejus adeptione & complexu conſiſtit, capacem eſſe, tam naturali lumine cognitum, ut etiam Philoſophos Gentiles non latuerit. Nam Platonici *rationalem animam, niſi participato lumine illius Dei, à quo & ipſa, & Mundus factus eſt, beatam eſſe non poſſe*, dixerunt. Et alia teſtimonia videri poſſunt, quæ diligentiſſimè acervat Ianſenius.

S. Aug. lib. 10. c. 1. Civit.

Ianſ. lib. 2. c. 2. de ſtatu puræ nat.

Hinc patet, non ſatisfacere Auguſtino illos Scholaſticos, qui fatentur non potuiſſe Deum ſapienter condere hominem cum rebelli concupiſcentia, & miſerijs, in quibus naſcimur, circumdatum; attamen non opus fuiſſe ullâ gratiâ ſupernaturali, quia per habitus naturales potuit, inquiunt, pars inferior refrenari, & ſub obedientia ſuperioris contineri.

Sed ut verum hoc ſit, Deus tamen in ſe, puro amore à creatura rationali attingi non potuit, ſed omnis creaturæ amor viribus naturæ commenſuratus, in ipſo amante, vel aliâ creaturâ infra Deum hæret, ut poſtea ex Auguſtino dicemus.

VII. Verùm, paratum mihi hoc reſponſum ſcio: Decens tantùm eſſe, ut Deus hominem ſic condat, ſapientiam tamen non obſtare omnipotentiæ ejus, quo minus aliter condere poſſit.

Sed

Sed ſtatim ecce pro me Richardus de S. Victore accurret: *Quomodo creator hoc poteſt, qui nihil quod non decet, facere poteſt?* Et S. Damaſcenus: *Si providentia nihil aliud eſt, quàm Dei voluntas, omnia proculdubio, quæ providentiâ fiunt, rectâ ratione, pulcherrimè ac diviniſſimè fieri neceſſe eſt; atque ita denique, ut meliori modo exiſtere prorſus nequeant.* Vnde breviter & profundè S. Anſelmus: *In Deo, quantumlibet parvum inconveniens ſequitur impoſſibilitas*: vel, ſi mavis, potentiæ impedibilitas, per quam omnipotentia Dei à ſapientiſſimâ (liberâ tamen) voluntate retinetur, ne in actum parùm decentem ſe exerat, ſed omnia decentiſſimè faciat. Si enim Sancti in cælo, ſi ſanctiſſima Virgo etiam in terra (ut Theologi jam paſſim affirmant) perfectiſſimè quàm potuit, ſemper operata eſt; quantomagis Sanctus Sanctorum, Sanctitas & Sapientia infinita, Deus noſter? Altiſſima ergo Sapientia ſecundum altiſſimas regulas quibus ſe dirigit, altiſſimo & ſapientiſſimo modo ſemper operari, non alteri, ſed ſibi debet. Aliàs ſpectatâ eminentiâ operantis, imprudenter ageret. Imprudentia verò non magis in Deum, quã quodvis peccatum, cadere poteſt. Vnde Auguſtinus: *Quidquid vera ratione tibi melius ſuccurrit, ſcias feciſſe Deum, tanquàm bonorum omnium conditorem.* Et alibi perſequens idem filum: *Vſqueadeone deſipiendum eſt, ut homo videat melius aliquid fieri debuiſſe, & hoc Deum vidiſſe non putet; aut putet vidiſſe, & credat facere noluiſſe; aut voluiſſe quidem, ſed minime potuiſſe?* Hinc etiam Sapientia incarnata, in redemptione generis humani, *actum mediandi profectiſſimum poſſibilem* exercuiſſe, *ita ut nullus convenientior & decentior eſſe potuerit*, affirmat audacter acutiſſimus Nominalium, & S. Auguſtini, cujus Ordinis aliquandò Generalis fuit, diligens æmulator, & ſagax diſcipulus, Gregorius Ariminenſis. Maneat igitur, Deum à ſua ſapientiſſima providentia quaſi impeditum

Richar. de S. Vict. c. 33. de ſtat. interior. Damaſ. lib. 2. c. 29. Ort. S. Anſel. lib. 1. c. 10. Cur Deus homo.

S. Aug. lib. 3. c. 5. de lib. arb. Lib. 1. c. 14. cont. adverſ.

Arim. 3. d. 3. q. 2. a. 1.

fuiſſe, quo minus primum hominem Hippocentauri inſtar deformem, & ex homine partim ac effreni quaſi bruto mixtum, condere valuerit. Nam aliàs *deformaretur ordo atque adminiſtratio Vniverſitatis*, ut monebat nos antea Auguſtinus. Quod ab eo ſanè fieri non poteſt, qui *omnia in menſura & numero & pondere diſponit.*

S. Aug. lib. 3. c. 9. de lib. arb. Sap. 11.

Sed altiſſimum dominium in creaturas ſuas habet, reclamant quidam, cur ergo quidlibet circa eas agere, & in eas deſignare non poteſt? Quia non tantùm omnipotens, ſed ſimul ſapiens, juſtus, bonus eſt, reſponderet Auguſtinus. Hæ & ſimiles perfectiones, omnipotentiæ quaſi intercedunt, ne violentas, imprudentes, aut non ſatis artifices in opus ſuum manus exerat. Et ſic pias omnes animas *ſentire de Domino in bonitate* oportet. Vide quæ in duros illos qui aliter ſentiunt, Ianſenius Lib. III. C. V. *de ſtatu puræ nat.* dicat.

Sap. 1.

CAPVT V.

An ergo juſtitia originalis in qua primus homo conditus, debeat dici homini naturalis, an ſupernaturalis.

I. HAbitus fidei, ſpei, charitatis, alijque id genus infuſi Adamo, ac eorum actus, in ſubſtantia ſupernaturales fuerunt; ſed quadantenus etiam naturales à S. Auguſtino, alijs Patribus, & Theologis appellantur.

Primò, quia naturale ſolet dici, quod à nativitate adhæret, & cum natura ipſa propagatur, juxta illud Apoſtoli: *Eramus naturâ filij iræ.* Unde S. Thomas, *Donum* inquit, *naturæ humanæ in ſui inſtitutione collatum, quodammodo fuit naturale; non quaſi ex principijs naturæ cauſatum, ſed quia ſic fuit datum, ut ſimul cum natura propagaretur.*

Ephes. 2. S. Tho. lib. 4 c. 52. cont. Gent.

Secundò

Secundò, & magis propriè, quia gratia originalis *defectum naturæ tollebat*, inquit ibidem. Nam naturale eſt, ut concupiſcentia ſubſit & obediat rationi, quam obedientiam gratia illa præſtabat. Vnde alibi, *Concupiſcentia*, inquit, *in tantum eſt naturalis homini, in quantum ſubditur rationi: quòd autem excedat limites rationis, hoc eſt homini contra naturam.* S. Tho. 1.2.q. 85.a.2.

Et egregiè Ferrarienſis: *Integritas naturalis hominis in quantum homo eſt, habet, ut appetitus ſenſitivus ratione reguletur, illiq; ſubjiciatur. Propter quod dicit Philoſophus tertio de Anima, quòd appetitus ſenſitivus ſequitur rationalem, ſicut ſphæra inferior ſuperiorem.* Ferrar. lib. 3. c. 160. cõt. Gent.

Princeps enim & domina carnis naturaliter anima eſt, quæ domare carnem debet & regere, ait poſt Magiſtrum ſuum Ambroſium Auguſtinus. S. Aug. lib. 2. c. 8 cont. Iul.

Vnde S. Thomas, volens ex ſola ratione naturali perſuadere Gentilibus, naturam noſtram infectam eſſe peccato originis: *Quamvis ejuſmodi defectus* (rebellio concupiſcentiæ &c.) *naturales homini videantur*, inquit, *abſolutè conſiderando naturam humanam, ex parte ejus quod eſt in ea inferius; tamen conſiderando divinam providentiam, & dignitatem ſuperioris partis naturæ humanæ, ſatis probabiliter probari poteſt, huiuſmodi defectus eſſe pœnales, & humanum genus peccato aliquo originaliter eſſe infectum.* Si ergo defectus illi non ſunt ſuperiori parti hominis, quæ in homine princeps eſt, naturales, ſed pœnales, gratia quæ eos ſanabat, fuit aliquo modo naturalis. Et ita à S. Celeſtino Papa apertè vocatur, quando ait, *In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem poſſibilitatem* (id eſt, gratiam quæ dabat poſſe) *& innocentiam perdidiſſe, & neminem de profundo illius ruinæ, per liberum arbitrium poſſe conſurgere.* S. Tho. lib. 4. c. 52. cont Gen. S. Celeſtin. Epiſt. ad Epi.

S. Thomas quoque, cum Theologis paſſim, hoc Bedæ axioma recipit: *Hominem ex peccato primi parentis*, ut

98

ribus, addit: *Ad quam quotidie nos utique reparat gratia*
Salvatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in ſe-
cundo.

Vnde Auguſtinus iterum: *Poſſe habere fidem, ſicut poſſe* S. Aug.
habere charitatem, natura eſt hominum; habere autem fidem, c. 5. de
ſicut habere charitatem, gratia eſt fidelium. Alibi quoque: Præd. Sanct.
Animus ab illo incommutabili refici & reformari nititur à quo Epi. 56.
capit ipſam capacitatem formationis ante formationem; cum
vel informe aliquid dicitur, quod formari poteſt. Et diſcipu-
lus ejus Proſper: *Quàm excellens ſit bonum natura humana,*
hoc maximè apparet, quòd datum ipſi ſit, ut poſſit ſummi & in-
commutabilis boni adhærere naturæ. Ac deinde: *Non eſſet* S. Proſ.
vitium recedere à Deo, niſi natura competeret eſſe cum Deo. in Sent.
Poteſt enim, ut ex S. Thoma & Scoto oſtendit Ian-
ſenius, eſſe aliqualis inclinatio naturalis in finem, qui Ianſ. lib 1. c. 15.
tamen tantùm ſupernaturalibus medijs acquiri poſſit. de Stat pur. nat.
Nam *omnis natura rationis particeps Deum ac Principem il-* Naz.
lam cauſam appetit, ſed deficit viribus, inquit Nazianzenus. Orat. 35
Et nobilis Belgij & ſeculi noſtri Theologus: *Deus na-* Guil. Eſtius
turalis finis hominis eſſe conceditur, quoad appetitum, non 2 d. 25.
quoad aſſecutionem; quomodo anima corpore ſoluta, naturaliter §. 4.
appetit rurſus uniri corpori; quod tamen conſequi non poteſt
ſine miraculo, atque operatione ſupernaturali.

Et Gregorius Ariminenſis, Ordine & doctrinâ verè Greg. 2.
Auguſtinianus, cùm Albertus de Padua objeciſſet ei d. 3. q. 4. a. 2.
ſententiam S. Baſilij, qui dixerat, *nobis iſſe connaturale*
diligere Deum, etiam pluſquam benefactores; reſpondet,
Quòd ex principio naturæ inſito, apti & inclinati ſimus ad Dei
dilectionem, ſed iſta aptitudo vel inclinatio adhuc non ſufficit,
ſed adjuvari indiget ab ipſo; quod ipſamet S. Baſilij auctori-
tas exprimit, ubi ait: Sed ſeminalis quædam ratio nobis S. Baſil.
inſita eſt, intrinſecus habens cauſas, ut Deo adhæreat.
Quam rationem accipiens doctrina divinorum præce-
ptorum, colere diligenter, cauteque fovere, ad per-

fectionem divinæ gratiæ perducere conſuevit: *Ecce quòd illa ſeminalis ratio nobis inſita colitur & fovetur doctrinâ divinorum præceptorum, ut ad perfectionem divinæ gratiæ (id eſt, ad quam ducit Dei gratia) perducatur. Iſta autem perfectio eſt, ut Deus ſuper omnia diligatur.*

III. Propter hanc ſeminalem rationem, habitus & actus ſupernaturales habitudinem & reſpectum tranſcendentalem eſſentialem, ut more Scholæ loquar, ad animam humanam dicunt, etiamſi naturam ejus ſuperent. Et licet ſeminalis ratio, ſeu capacitas, quæ illis reſpondet ex adverſo in anima, vocetur tantùm obedientialis; longè tamen naturali vicinior eſt, quàm eſt, v. g. potentia obedientialis Sacramentorum ad producendam phyſicè gratiam, in ſententia Thomiſtarum. In aqua enim nec talis, nec tanta eſt capacitas ad producendam gratiam baptiſmalem, quanta eſt in voluntate humana ad amandum, aut in intellectu ad videndum Deum, vel ad recipiendos illos habitus ſupernaturales charitatis & luminis gloriæ, unde illi actus emanant.

Hinc S. Thomas docet, vim naturalem potentiarum animæ ita habitibus & actibus ſupernaturalibus eſſe proportionatam, ut per influxum vehementem in actum intellectûs aut voluntatis ſupernaturalem, ſuſpendatur, aut remittatur, per naturalem ſympathiam, influxus ejuſdem potentię, aut ceterarum potentiarum animæ, in actum naturalem. Vnde de raptu S. Pauli

S. Tho. 2. 2. q. 175. a. 3. differens: *Oportet*, inquit, *cùm intellectus hominis elevatur ad altiſſimam Dei eſſentiæ viſionem, ut tota mentis intentio illuc advocetur; ita ſcilicet, ut nihil intelligat aliud ex phantaſmatibus, ſed totaliter feratur in Deum. Vnde impoſſibile eſt, ut homo in ſtatu viæ videat Deum per eſſentiam, ſine abſtractione à ſenſibus.* Quam S. Thomæ ſententiam, adverſus quoſ-

Theod. Smiſin. dam Neotericos, egregiè & dilucidè, uti ſolet, P. Theodorus Smiſingus defenſat.

Deinde

Deinde, ſi nulla eſſet ſaltem ſemicapacitas inchoata IV.
in natura intellectuali ad gratiam, non docerent S. Thomas & Theologi paſſim, gratiam ſupernaturalem, majorem aut minorem, Angelis viatoribus, juxta naturæ uniuſcujuſque dignitatem, in initio creationis, fuiſſe diſtributam.

Denique Scotus & Scotiſtæ, Durandus, Gabriel, Caietanus, Molina alijque cenſent, intellectum naturaliter perfectiorem, pari menſurâ luminis gloriæ, intenſiorem viſionem beatificam producere. Quæ omnia ſatis evidenter videntur probare, gratiam naturalibus animæ & Angelorum viribus eſſe utcunque proportionatam, & dici poſſe quodammodo naturalem, etſi propriè & abſolutè ſit ſupernaturalis.

Vnde patet, quàm immeritò ſugilletur à quibuſdam Ianſenius, & in eo S. Auguſtinus, cujus interpretem agit, quaſi omnem gratiæ ſupernaturalis rationem deſtruerent, cùm dicunt gratiam homini, ſecundum imaginem Dei quæ in ipſo naturaliter impreſſa eſt, ſpectato, eſſe aliquo modo naturalem. Non enim volunt gratiæ lumen ex naturæ principijs & fundo emicare, aut plenam capacitatem naturalem in natura invenire, ſed obedientialem tantùm, & ſemiplenam, ut diximus.
Vnde adverſus Sectarios Ianſenius: *Allucinantur*, inquit, *Lutherus & Calvinus, qui voluerunt juſtitiam originalem (quæ Auguſtino potiſſimùm eſt amor Dei, velut finis omnium ceterorum bonorum) voluerunt eſſe naturale bonum, quale eſt pecudi ſanitas, vel aquæ frigus, quod ex ipſa naturaliter pullulat.* Ianſen. l. [illegible] c. de Stat. puræ nat.

CAPVT

CAPVT VI.

In quem ſtatum homo delapſus eſt per originale peccatum.

I. HOmo per juſtitiam originalem à Deo creatore
ſuo veluti ſuſpenſus, ſic ut corpus animæ, ani-
ma ſpiritui, ſpiritus Deo obedienter ſerviret &
amore agglutinaretur, *magno illo* primi hominis *peccato*,
ut vocat Auguſtinus, à Deo deſertus, & in ſeipſum re-
lapſus; ſpiritus in animam, anima in corpus quaſi de-
S. Aug. cidit, totuſque homo caro factus eſt, & *defectivo appetitu*
c.11.cõt *quodammodo corporaſcit*, ut adverſus Secundinum loqui-
Secund. tur Auguſtinus. Omnes quippe cogitationes & appe-
titus ejus de carne, carnalibus, & pronæ factæ ſunt ad
omne malum, voluntate defectivum illum appetitum
ſequente: factumque eſt, quod Deum dicentem in-
S. Aug. ducit Auguſtinus: *Deſerat me* (primus homo) *& inve-*
ſer. 11. *niat ſe, & miſeriâ ſuâ probet, quia nihil poteſt ſine me.* Vnde
de verb. Apoſt. quia tota natura humana in uno illo homine, tanquam
fonte, & origine ſua erat, tota cum ipſo & in ipſo ceci-
S. Proſ. lib. 1. 5. dit, & univerſim, *humanæ naturæ, in primi hominis præva-*
9. de *ricatione vitiatæ voluntas vaga, incerta, inſtabilis, imperita,*
vocat. Gent. *infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus*
cæca, in honoribus tumida, curis anxia, ſuſpicionibus inquieta,
gloriæ quàm virtutum avidior, famæ quàm conſcientiæ dili-
gentior, nihil habet in ſuis viribus, niſi periculi facilitatem:
quoniam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili vo-
luntate regitur, tanto citiùs propinquat iniquitati, quanto
acriùs intenditur actioni, ut verè & graphicè miſeriam
S. Tho. noſtram fideliſſimus S. Auguſtini diſcipulus deſcribit.
1. Cor. *Sine gratia enim promptè ad peccandum currimus*, ait S. Tho-
12. Lect. 1. mas. Quippe *propter peccatum Adæ, motibus & appetitibus,*
ſicut

ſicut bruta animalia ſubjacemus, addit S. Anſelmus. Et rem totam abſolvit Auguſtinus: *Gratia divina non ſubveniente, quid ſunt homines, niſi quod ait Apoſtolus Petrus, velut muta animalia, procreata naturaliter in captivitatem & interitum?* Et alibi adhuc expreſsiùs: *In his omnibus* (quę ad ſenſus externos, internos, & totam vitam ſenſitivam pertinent) *non diſtamus à pecore, niſi quòd figurâ corporis, non proni, ſed erecti ſumus.*

S. Anſ. c. 18. de Conc. grat. S. Aug. lib. 2. c. 8. de nupt. S. Aug. l. b. 12. c. 1. Trin.

Sed juvat etiam illuſtrem è recentioribus Scholaſticum, de ſtatu hominis lapſi differentem audire. *Certè vulnera & defectus*, inquit, *qui ex peccato originali in nos tranſierunt, ſermone idoneo explicari non poſſunt. Nulla enim vox humana ſatis dicere queat, quanta ſit egeſtas, quanta nuditas, quanta paupertas, quantæ calamitates & ærumnæ. Quàm deſtructa & diſſipata noſtra natura, quàm inhabilis & inepta ad bonum. Sicut venenum epotum, per universa membra diffuſum ea omnia inficit, ita peccati originalis venenum univerſas animæ noſtræ potentias deſtruxit & commaculavit. Intellectus obſcuratus eſt, ne intelligat ea quæ Dei ſunt, evaneſcit in cogitationibus ſuis, nunquam ad Deum attollitur, acumen ſuum & omnem mentis aciem in terram deflectit. Memoria numquam Dei & ſuorum judiciorum recordatur. Imaginatio quàm inquieta & inobediens rationi? Per momentum temporis in Dei cogitatu detineri non valet. Diſcurrit per Orbem univerſum inquieta ac veluti folium arboris, quod ad omnem ventum circumfertur. Quid de appetitu noſtro? Quod ſterquilinium tam fœdum & horrendum, quæ lacuna tam lutulenta? Propter quod præclarè Eccleſiaſticus,* Quid nequius, quàm quod excogitavit caro & ſanguis? *Quis enim poteſt explanare multitudinem ſpurcitiarum tam variam? Delectationum & voluptatum turpium inventiones? Ex eadem radice oritur amor proprius, filius primogenitus peccati originalis. Peccatum enim originale eſt in cauſa, cur homo avertat oculos ſuos à Deo, & in amorem ſui convertat, facitq́ ut homo ſe & omnia ſua*

Barth. Medin. 1. 2. q. 85 a. 3.

Eccl. 17

plus amet, quàm Deum. Ac poſtquam fusè oſtendit, *hominem factum eſſe beſtiam, & bis beſtiam*, aliaq; quæ cap. IV. narravimus, addit imaginem hominis lapſi depictam nobis eſſe in Iobo, ulceribus pleno à planta pedis ad verticem capitis, ſedente in ſterquilinio, & teſtâ ſaniem radente. *Sic homo*, inquit, *gratuitis ſpoliatus, in naturalibus vulneratus, è Paradiſo in ſterquilinium hujus Mundi ejectus, non habet aliud, quo immundam ſaniem ſuæ malæ inclinationis radere poſſit & excipere, quam confractam liberi arbitrij teſtam.*

Hinc liquet, quàm verè Spiritus Sanctus dixerit, Pſal 48. *Homo cùm in honore eſſet*, primæ juſtitiæ originalis, *non intellexit; comparatus eſt*, per peccatum, *jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.*

Nam ſicut anima jumenti per omnium ſenſuum feneſtras, perpetuò in voluptatem ſenſibilium ſe effundit; ita facit pars noſtra inferior & brutalis: & quia potentior eſt (quod ex Scripturis ſacris didicit Auguſtinus, & experientiâ ſentimus) partem rationalem ſecum in conſenſum rapit. Brutales enim impetus ſunt potentiſſimi, ut in affectibus iræ, invidiæ, Venerei amoris, &c. ſatis homines experiuntur. *Audivi olim quendam amantem qui diceret*, inquit Galenus, *Velle ſe quidem deſinere, at non poſſe.*

Gal. lib. de curand. affect.

Nam apex mentis, animæ noſtræ brutali per identitatem, tanquam in limo profundi, altè immerſus, ſequitur raptum ejus, niſi ſuperior aliqua manus ei injiciatur, quæ caput ejus ſurſum reflectat, aut niſi ipſamet, vim ſibi quaſi inferendo, aliud objectum arripiat, ad quod ſe teneat. *Vix enim quiſquam*, ait Nazianzenus, *niſi qui diuturna Philoſophia ſeipſum domuerit, atque animæ nobilitatem & claritatem ab eo quod humile eſt & cum tenebris conjunctum, abruperit, vel niſi Deum propitium nactus ſit, aut etiam ambo hæc habuerit, atque ad oculos ſurſum erigendos,*

Naz. Orat. 1.

quàm

quàm maximè ſeſe exercuerit, deprimentem materiam ſuperare poterit. Imò ſi ſine propitio Deo, quantum poteſt & valet, ſe exercuerit, ſupra ſenſibilia quidem animum eriget, ſed non ultra creata eum proijciet. At *vel in talibus quietem voluntatis appetere, proſternere eſt animum*, inquiet ſublimis Auguſtinus. Vnde voluntas quidem ſuis viribus ſine gratia Dei, præſentem raptum concupiſcentiæ carnalis poteſt non ſequi, ſed aliquod aliud objectum creatum amore apprehendet, & figendo ſe in eo, culpâ non carebit, ut ſanctiſſima Auguſtini Theologia nos docet. S. Aug. lib. 1. cap. 12. Trin.

II. Hinc Philoſophi & Sapientes illi Gentilium, qui tanta de virtute & viribus ſuis jactabant, ubi ſe plebeias voluptates & unum morbum effugiſſe gloriantur, in vanam gloriam, & morbum alium longè ſæpè priori deteriorem incidebant. Imò illis ipſis vitijs, quæ in plebe, tanquam infra ſe deſpiciebant, ipſi occultè, & ſæpè palàm inquinatiſſimi erant.

Quotuſquiſque Philoſophorum, clamat Cicero, *invenitur, qui ſit ita moratus, ita animo ac vitâ conſtitutus, ut ratio poſtulat, qui diſciplinam ſuam, non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitæ putet, quique obtemperet ipſe ſibi, & decretis ſuis pareat? Videre licet alios tantâ levitate & jactatione, his ut fuerit non didiciſſe melius. Alios pecuniæ cupidos, gloriæ nonnullos, multos libidinum ſervos, ut cùm eorum vita mirabiliter pugnet oratio.* Cicer. lib. 2. Tuſc.

Omitto Cyrenaicos, & Epicureos, *enervatam muliebremq́; ſectam*, ut Cicero appellat: Socrates Alcibiadem, Plato Phædrum & Alexin, Ariſtoteles & Zeno alios ſuos diſcipulos turpiter amabant; & Nicomachum illum, filium Ariſtotelis, Libris Ethicorum patris ſui ei inſcriptis tam celebrem, ex ſcorto natum refert Athenæus. Quid alij minorum gentium Philoſophi? Simillimi iſtis, aut magis maculoſi. Stilpo ad uxorem,

 pelli-

pellicem addiderat; Demetrius Phalereus cum Lamia, Demetrij Regis amica, conſueverat; Crates & Polemo, ſeculi aurei reliquię, ab Arceſilao vocati, libidinoſiſſimi erant; Arceſilaus ipſe Theodotæ & Philetæ, Elienſibus ſcortis, publicè congrediebatur, maſculorum etiam pæderaſtes infamis. Periander, ex Sapientibus unus, pellicum ſuaſu, conjugem prægnantem necavit, & matre etiam propriâ eſt abuſus. Quid infinita alia flagitia, aut ſcelera recenſeamus?

III. Eat igitur nunc Zeno, & Sapientem ſuum ἀναμάρτητον, *impeccabilem*, *Iovi parem & ſibi ſufficientem* prædicet. Superbè Seneca jactet, quòd, *quemadmodum corporum noſtrorum habitus erigitur, & ſpectat in cælum; ita animus (cui in quantum vult, licet porrigi) in hoc à natura rerum formatus ſit, ut paria dijs velit, ET SIC VTATVR SVIS VIRIBVS, ac ſe in ſpatium ſuum extendat.* Ipſi enim ſtatim humiliter & Chriſtianè reponet Auguſtinus: *Sicut corpus ad ea quæ ſunt excelſa corporum, id eſt, ad cæleſtia naturaliter evectum eſt; ſic animus, qui ſubſtantia ſpiritualis eſt, ad ea quæ ſunt in ſpiritualibus excelſa erigendus eſt, non elatione ſuperbiæ, ſed pietate juſtitiæ.* Quid autem eſt pietas juſtitiæ? *Charitas ipſa eſt pietas*, reſpondebit Auguſtinus alibi. Nam *pietas eſt cultus Dei, nec colitur ille, niſi amando.*

S. Aug. lib. 2. cap. 1. Trin.

S. Aug. lib. 12. cap. 14. Trin.

Hanc pietatem non habent Philoſophi, qui ſe & gloriam ſuam, in omnibus etiam virtutum officijs, non juſtitiam, amant. *Dominus enim juſtitia eſt*, ait iterum Auguſtinus: quem illi non diligebant, quibus unica *fax mentis honeſtæ, Gloria* erat, non Dominus. Nam ut vaniſſimè ex ſua & eorum mente Cicero: *Nullam virtus aliam mercedem laborum periculorumque deſiderat, præter hanc laudis & gloriæ: qua quidem detracta, quid eſt*, inquit, *quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo & tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus?* Huc ergo uſque extra lutum ſuum erigebantur illi Philoſophi, ſed non ultra ſe; quia ad gloriam

S. Aug. Ser. 17. de verb. Apoſt.

Lucan.

Cic. pro Archia.

102

gloriam ſuã, ſeu ad ſeipſos humili & terreno amore revertebantur, Hoc eſt quod alicubi Auguſtinus: *Si diſcutiatur, quo fine fiant* (ea quæ Philoſophi Gentiles juſtè & rectè facere jactantur) *vix inveniuntur, quæ juſtitiæ debitam laudem* (etiam ex proximo officij fine) *defenſionemque mereantur.* Ita omnium ferè virtutum officia in finem pravum detorquebant. *Nihil providebat prudentia, nihil diſtribuebat juſtitia, nihil tolerabat fortitudo, nihil temperantia moderabatur, niſi unde placerent hominibus, & ventoſæ gloriæ ſervirent.*

S. Aug. cap. 27. de ſpir. & litt.

S. Aug. lib. 5. cap. 20. Civit.

Sed qui dixit, *vix inveniri*, ſignificavit, aliquando inveniri, ut Auguſtini Interpretes quidam argumentantur, volentes, in Auguſtini etiam Theologia, actus moraliter undique bonos, & veras virtutes in Gentilibus Philoſophis invenire. Sed fruſtra. Reſponſat enim illicò ipſis ex adverſo Auguſtinus: *Cùm facit homo, ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit, propter quod facere debet, & facere debere vera ſapientia præcipit, peccare convincitur.* Cur verò ſic Auguſtine? Quia, inquit, *non officijs, ſed finibus, à vitijs diſcernendæ ſunt virtutes. Officium autem eſt, quod faciendum eſt, finis verò propter quod faciendum eſt.* Quis autem finis iſte propter quem fieri omnia debent? *Ipſe fons noſtræ beatitudinis, ipſe omnis appetitionis eſt finis*: id eſt, Deus noſter, quò omnis appetitio & pondus amoris, tanquam ad centrum, ruere debet, & in ejus complexu quieſcere. Quod quia anima noſtra per peccatum originale, in carnem delapſa, viribus ſuis non poteſt, per gratiam erigi rurſum ſupra ſe debet, ut eò per caſti amoris pondus recidere poſſit.

S. Aug. lib. 4. cap. 3. contra Iul.

Lib. 10. c. 4. Ci. vit.

IV. Hinc quia Philoſophi Gentilium gratiâ illâ infirmitatem eorum attollente caruerunt, rariſſima quædam officia ex proximo fine & circumſtantijs honeſta exercere quidem potuerunt, ſed referre ad eum finem ad quem debuiſſent, non potuerunt. Ad iſtam quippe re-

lationem faciendam ſicut oportet, puriſſimo creatoris amore (etſi non ſemper amati ſuper omnia) opus eſt. Puriſſimus autem Dei, & nulla creati reſpectûs labe reſperſus amor, ex animæ noſtræ fundo ebullire non poteſt, ſed supernè ex cæleſtis gratiæ fonte debet influere.

Cap. 14. de geſt. Pelag. Vnde quia fides eſt prima gratia, & *initium unde bona opera incipiunt*; ſine fide impoſſibile eſt, verè & undique bonum opus exercere. Nam omne tale bonum opus placet Deo: *ſine fide autem impoſſibile eſt placere Deo.* Sed hæc infrà cap. VIII. & IX. explicatiùs. Heb. 11.

CAPVT VII.

An S. Auguſtinus rectè concupiſcentiam vocaverit peccatum originis.

I. Carpitur à quibuſdam Theologis S. Auguſtinus, quòd peccatum originale in poſteros Adami, generatione propagatum, dixerit non eſſe aliud quàm concupiſcentiæ illud pondus, quo in nondum renatis caro adverſus ſpiritum luctatur & concupiſcit.

Sed ubi illi Auguſtinum ſtuporis ferè accuſant, Ianſenius & alij profundiſſimam ejus Philoſophiam admirantur. Quam tota deinde Patrum & Theologorum antiquitas uſque ad S. Thomæ tempora & ultra, ſecuta eſt, ut multis teſtimonijs oſtendit Ianſenius. Vnde Italorum Scholaſticorum acutiſſimus, Gregorius Ariminenſis: *Hanc Auguſtini ſententiam*, inquit, *ſecutus eſt Magiſter, ut patet in hac diſt.* 30. *& ſeqq. & multi etiam antiqui ac moderni. Et ego*, inquit, *licet aliquando, ubi hæc materia non directè diſcutiebatur, dixerim aliqua ſupponendo oppoſitam opinionem, quæ ſatis etiam communis eſt, ſequor tamen eandem ſententiam.*

Ianſen. lib. 1. cap. 15. de ſtatu nat. lap.

Grego. 2. d. 3. q. 1. a. 2

Non

Non videtur enim potuiſſe ingenioſiùs propagatio peccati originalis, ex infinitis labyrinthis, quàm iſto modo, expediri. Nam parentes per generationem, temperamentum humani corporis morbidum & vitiatum in filios transfundunt, à quo anima recèns corpori infuſa, labem contrahit, ut ferè liquor purus ſolet à vaſe vitiato; qua comparatione, in re iſta Auguſtinus utitur. Vnde dicit hoc vitium originale *ineſſe carnali parentum ſemini*; quia ſcilicet ex temperie exigui ſeminis totum hominis temperamentum, ut ex ſcintilla ignis, accenditur. Hoc verò temperamentum hominis quatenus juſtitiæ originalis ſpoliatione factum effrene, & ſpiritui rebelle, vocatur ab Auguſtino concupiſcentia, nempe habitualis; quia inſtar habitus inclinat, & deprimit appetitum ſenſitivum, & cum eo voluntatem ad res terrenas; licet appetitui ſenſitivo non inhæreat, ſed materiæ corporis, in quo ſubjecto proximè etiam eſt anima rationalis, quæ illius *contagio obruitur*, ut loquitur Auguſtinus, *cùm membris corporis inſeritur.* An tamen iſtud concupiſcentiæ pondus ſit aliqua *morbida qualitas*, diſtincta à temperamento, inter varias veterum opiniones fluctuat Ianſenius, & eligendi relinquit libertatem. Mihi tamen propiùs verum & Auguſtini mentem eſſe videtur, Nullam qualitatem ponere à temperamento corporis humani, gratia originali deſtituti, diverſam.

S. Aug. lib. 6. c. 4. cõt. Iul.

S. Aug. lib. 10. cap. 16. de Geneſ.

II. Huc enim me ducunt verba iſta Auguſtini: *Hòc amiſſo ſtatu*, inquit, *corpus eorum (* primorum parentum *) duxit morbidam & mortiferam qualitatem, qua ineſt etiam pecorum carni.* Atqui in pecorum carne nulla alia eſt morbida qualitas, quàm nudum & naturale pecoris temperamentum, quo materia ad formam pecoris diſponitur, & quo omnes animæ pecorinæ appetitus, in carnis ſuæ voluptates deprimuntur.

Lib 11. cap. 32 de Geneſ.

Et æquè

Cap.40 de pec. orig. Et æquè evidenter alibi: *Homo comparatur pecoribus per vitium, non per naturam, non pecoris vitio, ſed naturæ. Tanta namque excellentia eſt in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis, natura ſit pecoris; nec tamen ideo natura hominis in naturam vertitur pecoris. Ac per hoc Deus hominem damnat propter vitium, quo natura dehoneſtatur, non propter naturam, quæ vitio non aufertur.* Vnde alibi dicit, concupiſcentiam iſtam in qua naſcimur, pravâ conſuetudine, & parentum vitioſâ temperie in filijs augeri, bonâ diminui.

Apertè enim ex ſententia ſui Magiſtri Proſper: *Sicut* Proſp. ſen.306 *quidam parentes aggravant originale peccatum, ita quidam relevant, ſed nullus tollit, niſi ille de quo dictum eſt, Ecce agnus* S. Aug. lib.6.c.5 contra Iul. *Dei &c.* Nam *quis ambigat, in hac vita poſſe minui, non poſſe conſumi?* ait ipſe Auguſtinus. Hæc autem incrementa & decrementa, ſed nunquam uſque ad conſumptionem, in vitioſam illam temperiem optimè cadunt.

Deinde S. Anſelmus, & alij Patres naturam juſtitiâ originali exutam comparant feræ indomitæ, quæ ruptis vinculis, in omnes paſſim inſilit, à nullo malo abſtinet, & effreni impetu omnia dilacerat. Hæc autem, non qualitate aliquâ ſuperadditâ, ſed à naturali ſuâ temperie efferata facit. Vnde S. Thomas: *Soluto* S.Tho. 1.2.q.81 a.4. *vinculo originalis juſtitiæ,* inquit, *ſub quo quodam ordine omnes vires animæ continebantur, unaquæque vis animæ tendit in ſuum proprium motum, & tanto vehementius, quanto fuerit fortior. Contingit autem vires aliquas animæ eſſe fortiores in uno, quàm in alio, propter diverſas corporis complexiones.* Chryſ. hom.12 in Epiſt ad Rô. Et S. Chryſoſtomus: *Cum Adam peccaſſet,* inquit, *corpus illius confeſtim mortale ac paſſibile factum eſt, plurimoſque recepit naturales defectus, factuſque eſt gravis, & inſtar effrenis equi. Chriſtus verò adveniens, per baptiſmum corpus noſtrum fecit levius, aliſq; ſpiritûs ſui excitavit.*

Non videtur ergo quærenda in homine lapſo alia

qualitas,

104

qualitas quàm effrene illud & brutale temperamentum; quia difficillimè alia intelligitur, & ipſum nudum temperamentum ſatis magno pondere, partem animæ inferiorem ſuperioremque deorſum premit, ut ex libro Galeni, *Quod mores animi, temperamentum corporis ſequantur*, intelliges. Adeò enim anima, gratiâ Dei deſtituta, corporis ſui temperamento obnoxia, & in omnes ejus inclinationes prona & ſequax eſt, ut infelix Galenus, *ingenti*, inquit, *ſuſpicione, totam animæ ſubſtantiam, corpoream eſſe crediderit*. Galen.

Sanè enim, ſi temperamentum leonis, aut alterius bruti tam potenter animæ ſuæ dominatur, ut eam naturali impetu in appetitiones ſuas, ſicut ferè gravitas lapidem deorſum, abripiat; gradus ſenſitivus animæ rationalis, temperamento ſimillimo brutali immenſus & *obrutus*, ut phraſi Auguſtini loquar, ſimili etiam modo rapietur. Gradus tamen rationalis, ſenſitivo inſertus, non naturali quidem, ſed libero impetu, ſi ratio vigilet, ſequetur, quò gradûs ſenſitivi, & temperamenti pondus eum inclinat.

Hoc autem temperamentum hominis vocatur morbidum, quatenus ſymmetriâ & concordiâ caret cum parte animæ rationali, à qua per gratiam originalem ſuſpenſum ac devinctum erat. Vnde ſi Adam in Paradiſo cum uxore ante peccatum congreſſus fuiſſet, ſemen & temperamentum cum ſemine ſanum ac ſine vitio originali in prolem transfudiſſet. Iam verò homo generans transfundit quale habet, id eſt effrene & morbidum; quia ſimilis ſimilem ſibi generat. III.

Quia verò peccatum originale vocatur paſſim *infirmitas, languor, morbus*, ad quem ſanandum Chriſtus Medicus in terras deſcendit, ideo ad imitationem Medicorum, duo in eo ingenioſè conſideravit Auguſtinus, & poſt ipſum S. Thomas: ipſam concupiſcentiam, ſeu

temperamentum morbidum (quod eſt quaſi materiale) & privationem juſtitiæ originalis, quæ eſt inſtar formæ complentis compoſitum accidentarium, quod vocatur peccatum originale, Nam morbus apud Galenum & Medicos, non eſt ſola ἀμετρία, ſeu privatio convenientis temperiei qualitatum primarum animalis, ſed eſt compoſitum accidentarium ex poſitivis primis qualitatibus, tanquam materia, & ex illa privatione, tanquam formâ.

Vnde etiam, ſicuti variæ ſunt morborum ſpecies, prout in hac vel illa humorũ intemperie, hæc vel altera qualitas prima abundat, aut deficit; ita in peccati originalis morbo, concupiſcentia varia eſt & multiformis, prout humana temperies, ut cholerica, ſanguinea &c. animam in hanc aut illam perturbationem vehemẽtiùs aut languidiùs inclinat. *Soluto* enim, ut antea S. Thomam differentem audiebamus, *juſtitiæ originalis vinculo, quod vires animæ*, & temperamentum *continebat*, in uno complexio cholerica, in altero ſanguinea &c. tanquam totidem diverſi morbi exiliunt. *Quod non ſit ratione peccati originalis* (id eſt, ejus quod eſt formale, & principale in peccato originali) *cùm in omnibus ſolvatur æqualiter vinculum juſtitiæ originalis, & in omnibus æqualiter partes inferiores animæ ſibi relinquantur, ſed ex diverſa diſpoſitione potentiarum*, ait S. Thomas. (S. Tho. 1.2.q 82 a. 4.)

Illam porrò juſtitiæ originalis privationem, quatenus carentiam gratiæ ſanctificantis includit, vocat S. Auguſtinus *reatum*, nempe culpæ; aitque ideo, peccatum originale, ſeu concupiſcentiam *in parvulis baptizatis à reatu ſolvi, & ad agonem relinqui. Hoc eſt enim*, ut inquit alibi, hoc idem tractans, *non habere peccatum, reum non eſſe peccati*. Hinc rectiſſimè ex Auguſtino Tridentinum definit, in baptiſmo *tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet*, etiamſi *concupiſcentia vel fomes ad agonem relinquatur*. (S. Aug. lib. 2. c. 5. de pec. merit.) (Trid. Seſſ. 5.)

Quod

Quod enim in peccato originali materiale, & tanquam peccati, ut ſic dicam, cadaver eſt (quod concupiſcentia, aut fomes vocatur) ſi ſeparetur à ſpirituali culpæ reatu, nullam proprij peccati rationem includit, ſed *alio modo peccati nomen accepit*, inquit Auguſtinus; *quòd ei conſentire peccare ſit*: ſeu, quia *ex malo eſt, & ad malum inclinat*, ait iterum ex Auguſtino Trid. Synodus. Apoſtolum enim imitatus eſt Auguſtinus, qui concupiſcentiam peccatum vocat, *Iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* IV. S. Aug. c.ult. de perfect. juſtit. Rom. 7.

Hinc colligi poteſt, quàm ſine cauſa aliqui Ianſenium, & in eo Auguſtinum ſugillent, quòd dixerint, peccatum originale in filios propagari, *quodam operante contagio, quod etiam de morbidis parentum corporibus ſolet evenire naſcentibus*. Nam temperamentum illud morbidum & effrene, quod eſt materiale peccati originalis, naturaliter propagatur, & ex eo deinde labes aſcendit ad animam; dum Deus decreto juſtiſſimo & naturæ ſic deformatæ conſentaneo, animam juſtitiâ originali nudatam morbidæ materiæ infundit. Nam materiæ morbus eſt occaſio, cur anima, quæ naturâ rei exigente in tali materia jam creari debet, privata gratiâ ſanctificãte, illi materiæ uniatur. Quam eſſe S. Thomæ ſententiam probat Ferrarienſis. *In ſemine*, inquit, *non eſt particularis aliqua virtus quæ ſit directè productiva peccati; ſed virtus quæ eſt directè productiva naturæ humanæ* (inducendo nempe temperiem & configurationem humanam in materiam) *per quandam concomitantiam dicitur productiva peccati concomitantis talem naturam; in quantum illa virtus eſt imperfecta, utpote non valens naturam cum originali iuſtitia producere. Et hoc modo contra Capreolum intelligunt alij Thomiſtæ, peccatum originale* (ſecundum formale ejus, quæ eſt macula hærens in anima) *eſſe virtualiter in ſemine. Quod etiam mihi rationabilius videtur, & conformius S. Thomæ doctrinæ.* V. S. Aug. lib. 6 c. 7 cont. Iul. Ferrar. lib. 4. cap 50. cont. Gent.

VI. Et hinc etiam patet, peccatum actuale aliter corrupiſſe communem in primo parente naturam, & aliter nunc per parentes propagari in prolis animam. Nam in illo, labes à vertice animæ deſcendit, & infecit corpus ſanum; jam verò à corpore vitiato aſcendit in animam. Dicit hoc eleganter Auguſtini, aut Auguſtiniani Liber: *Habent parvuli originale, non per animam, ſed per carnem utique contractum, animaque refuſum. Carni namque ita unitur anima, ut cum carne ſit una perſona.*

Auctor lib. de ſpir. & anima c. 51.

Patet deinde, non de nihilo dixiſſe Ianſenium, ſuperfluum & ad propagationem peccati originalis inutile eſſe pactum, quo fingitur Deus, omnium poſterorum voluntates ita poſuiſſe in Adamo, ut voluntas ejus, omnium voluntates eſſe cenſeretur, quocumque modo, ſive cum concupiſcentia, ſive ſine ea, ab ipſo naturaliter propagarentur: imò, vi cujus ſimilis pacti fieri poſſet, ut qui ab aliquo non ſint geniti, peccati tamen ejus culpam participarent.

Ad quale pactum in omnibus (quamvis facillimè potuiſſet) ferè inextricabilibus difficultatibus, nunquam recurrit Auguſtinus, nunquam Proſper, Fulgentius, Anſelmus, Bernardus, S. Thomas, Thomiſtæ veteres, alijque S. Auguſtini fidi diſcipuli & ſequaces. Æternum tamen decretum, quo naturam in ſuo fonte incorruptam, cum juſtitia originali, vitiatam cum macula originali propagare Deus conſtituerat, Auguſtinus & Ianſenius non negant, nec ullus negare poteſt; quia ſine æternis decretis nihil extra ſe in tempore agere Deus poteſt. Sed hoc non eſt pactum, de quo jam diſputatio, quo Deus cum Adamo pactus ſic dicitur, ut omnium poſterorum in unam ejus, voluntates conferrentur, ut quidquid ille deſignaſſet, univerſorum eſſe cenſeretur. Sed eſt æterna lex & decretum, in naturali naturæ humanæ conditione fundatum, in quo condendo, Deus

 106

do, Deus nullius creatæ voluntatis acceptationem aut conſenſum debuerit expectare.

Nam natura humana poſtulat, ut condatur, non ut Angelica in omnibus ſuis individuis ſimul, ſed in uno homine, à quo tanquam fonte, cetera illius ſpeciei individua per generationem promanent. Vnde tota natura humana in illo uno condita eſt, & poſteri omnes, *tanquam in maſſæ unione communiter, in natura illa, in qua illos gignere poterat, unus erant,* inquit Auguſtinus. Vnde peccatum Adæ meritò & juſtè ad omnes pertinet: quia licet poſteri *nondum agerent vitas proprias*, tamen *quidquid erat in futura propagine, vita unius hominis continebat.* S. Aug. lib. 5. cap. 11. contra Iul.

Alia verò ratio Angelorum, quorum natura, non in uno aliquo individuo, quaſi collectim, ſed per multa ſparſim condita fuit; quia per generationem ab uno propagari nec flagitabat, nec poterat. Hinc uniuſcujuſque Angeli peccatum intra ipſum ſtetit, naturamque unius dumtaxat individui polluit, non ad alios contagio fluxit.

VII. Primum ergo hominem non oportet tantùm ut ſingularem, ſed ut totâ ſpecie humanâ, naturaliter inde propagandâ, quodammodo gravidum contemplari, ideoque peccato ſuo virtualiter totam naturam, & omnia individua inde propaganda infeciſſe.

Cum quo ſtat tamen, Deum potuiſſe quorumdam conceptionem, ſingulari privilegio, ab actuali labe præſervare. Nam parens ille *non propagaret concupiſcentiam*, ſeu peccatum originale, *in filios*, inquit Ianſenius, *cui illa per inuſitatum miraculum, Deo operante tolleretur.* Ianſ. lib. 1. c. 21. de ſtatu nat. lap.

Vnde patet, falſum eſſe, quod invidiosè quidam ei objectant: quaſi ex doctrina ejus neceſſariò ſequeretur, Virginem conceptam fuiſſe in macula originali.

Dixit enim ſolùm cum Auguſtino ſuo, morbum illum concupiſcentiæ, naturali neceſſitate cum ſemine corrupto traijci, non ademit Deo poteſtatem, per miraculum illum ſanandi, ne inficeret animam quæ materiæ infunditur.

CAPVT VII.

Quænam hominis libertas amiſſa per peccatum originale.

I. S. Aug. c. 11. de correpł. PEccato primi hominis liberum arbitrium perditum non eſt. Nam *ad malum ſufficit, licet ad bonum nihil ſit, niſi adjuvetur ab omnipotenti bono.* Per duo enim graviſſima vulnera, ignorantiam & concupiſcentiam, per peccatum homini inflicta, ita languet, ut jam *non habeat in poteſtate, ut bonus ſit; ſive non videndo,* Lib. 3. c. 18. de lib. arb. propter ignorantiam, *qualis eſſe debeat; ſive videndo, & non valendo eſſe*, propter concupiſcentiam, *qualem debere eſſe ſe videt.* Nec id mirandum, inquit ibidem Auguſtinus: *Illa enim eſt peccati pœna juſtiſſima, ut amittat unuſquiſque quo bene uti noluit, cum ſine ulla poſſet difficultate, ſi vellet. Id eſt autem, ut qui ſciens rectè non facit, amittat ſcire quid rectum ſit; & qui rectè facere, cum poſſet, noluit, amittat poſſe, cum velit.* Conc. Arauſ. Can. 13. Hinc Conc. Arauſicanum definit: *Liberum arbitrium* ad bonum *eſſe amiſſum;* quia juſtitiâ originali amiſsâ, non habet jam amplius in ſua poteſtate & nutu Idem Can. 25. opus bonum, ſed *ita inclinatum & attenuatum eſt, ut nullus aut diligere Deum ſicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum eſt, poſſit, niſi gratia eum & miſericordia divina præveniat.* Vnde ſequitur, quòd *nunc,* S. Aug. c. 12. de correpł. ait Auguſtinus, *poſteaquam eſt illa magna, peccati merito, amiſſa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remanſerit infirmitas.*

II. Quo autem modo hæc arbitrij infirmitas à gratia auxilian-

107

auxiliante adjuvetur, & qua ratione cum hujus impulſu ſtet illius libertas, Arena eſt, in qua hodie Catholici quidam inter ſe, non tantùm cum hæreticis pugnant, nec in eam nunc volo deſcendere, quia Sanctiſſimi noſtri Pontifices Paulus V. & Vrbanus VIII. nuper vetuerunt. Hoc ſufficiat, Ianſenium S. Thomæ & Thomiſtarum, ex S. Auguſtino, gratiæ & liberi arbitrij concordiam approbaſſe. Nam *meritò*, inquit, *dici poteſt, doctiſſimos illos viros veram S. Auguſtini ſententiam de gratia Salvatoris vidiſſe atque tenuiſſe. Quòd ſi quid ei ulteriùs adjecerunt, ex ſuperfluentibus humanæ Philoſophiæ exceſſibus factum eſt, qui ad tuendam perſpectam veritatem (ſatagentis animi conceptibus naturalem ſcientiam in ſubſidium rapientibus) ebullire ſolent.* Vnde poſtea: *Quapropter*, ait, *quidquid phyſicæ prædeterminationis defenſores pro ſua ſententia protulerunt, ut liberum arbitrium ſub ea ſalvum eſſe perſuadeant; quidquid etiam ad diſſolvenda oppugnantium argumenta, telaq; repercutienda moliti ſunt, pro hac ſententia dictum puta. Eodem quippe modo libertatem illam arbitrij, de qua ipſi ſolliciti ſunt, incolumem permanere ſub illo auxilio medicinali, quod S. Auguſtinus docuit, oſtendi ac defendi poteſt.* Ianſ.lib 8.c.1. de gra. Christi Ibid. cap.4.

Cauſa verò naturalis impotentiæ liberi arbitrij ad bonum, ſine gratia præveniente & ſublevante, eſt duplex. Primò pondus quoddam, quo natura lapſa ad res terrenas amandas deprimitur. Secundò, ſublimitas finis ultimi, ad quem æterna lex jubet omnes actiones creaturæ rationalis referri. III.

Pondus verò illud in homine iterum duplex eſt. Vnum provenit ex depreſſione gradûs rationalis intra ſenſitivum, quo fit, ut ab appetitu ſenſitivo & concupiſcentia carnali, ad delectationes ſenſuum perpetuò ſollicitetur, ſequaturque, niſi gratia retineat, aut tentatio una alteram vincat; ſicut olim cùm Menelaus ira incenſus ſtricto ferro Helenam ſuam occidere pararet,

ubi ex propinquo mammillarum candorem aſpexit,irâ in amorem liquefactâ, eam eſt deoſculatus. Cantat enim ex Auguſtino Proſper,

S.Proſ. Carm. de ing. ——— *Arbitrium nunquam conſurgere poſſe,*
Inq; novos lapſus ſemper, nitendo revolvi.
Ac deinde ——— *Omnimodaque*
Mobilitate ruens, in vulnera vulnere ſurgit.

Poteſt enim miſera voluntas pondere iſto depreſſa, hac illac ſe, quaſi mutans latus, volvere, ſed in libertatem ſe evolvere non poteſt. De hoc naturæ lapſæ pondere, ſat multa cap. II. III. IV. VI. diſſeruimus.

IV. Alterum pondus non naſcitur ex eo, quòd homo ex anima rationali & ſimul ſenſitivâ ſit compoſitus, ſed quia creatura eſt, & ex nihilo factus, ut aliquoties ſignificat Auguſtinus. Vnde hoc pondus etiam commune eſt Angelis. Nihil verò eſt aliud, quàm admirabilis quædam & intimis naturę viſceribus inſita ad amorem proprium propenſio,

Nam veluti creaturę etiam inſenſibiles,maximo impetu in quendam ſui amorem feruntur, quo & eſſe ſuum conſervare,& contrarijs obſiſtere conantur;quod etiam multo evidentiùs in brutis apparet, quę irâ & omnibus armis vitam ſuam tuentur, & nihil etiam non moliuntur, ut ſibi bene ſit, & ad voluptates naturę ſuę conſentaneas perveniant,ac in ijs tanquam beatitudine ſua quieſcant: ita homo & Angelus, creaturę rationales, niſi per gratiam Dei ab amore proprio avertantur, in ſe convertuntur & cadunt, ibique tanquam in fine ultimo conquieſcunt, ut ex principiis S. Auguſtini ingenioſè deducit Ianſenius. *Amiſſo enim*, inquit, *amore Dei, in quem antea omnia, velut in finem ultimum ferebantur, impoſſibile eſt, ut aliò qualibet appetita referantur, niſi ad ipſum hominem, qui ſe diligendo arctiſſimè complectitur, & ſibi ſoli incubat.*

Ianſ. lib. 2 c. 25. de ſtat. nat. lap.

Et ante

Et ante eum Medina: *Amor proprius*, inquit, *filius primogenitus peccati originalis. Peccatum enim originale in cauſa eſt, ut homo avertat oculos ſuos à Deo, & in amorem ſui convertat, facitq́, ut homo ſe & omnia ſua plus amet, quàm Deum. De hoc amore veriſſimè dicit D. Auguſtinus, quòd eſt radix & fomes omnium peccatorum. Nemo enim peccat, niſi propter aliquod bonum, quod ſibi inordinatè amat.* Medin. 1.2.q.85 a.3.

Velut igitur elementum terræ propria gravitate circa centrum ſuum ſe colligit, & ei incubat, nec conatur inde ſe emovere; ita non tantùm creaturæ inſenſibiles aut ſenſibiles brutæ, ſed etiam homo & Angelus ſibi relicti, pondus amoris ſui in ſe, tanquam in centrum, convertunt, & omnia ſibi, tanquam fini ultimò, deſiderant & amant. Ad quid enim potiùs omnia, quàm ad ſe, referrent, quamdiu pondus illud amoris non extrahitur ex ſuo centro, ut alteri incumbere poſſit? Certè nihil eſt naturaliter magis commenſuratum, quàm unuſquiſque ſibi, ut in ſeipſo per amorem quieſcat. Vnde & amicis, quia unum quodammodo nobiſcum ſunt & ipſorum commoda, noſtra reputamus, bene volumus.

Amor verò iſte proprius, & vitioſus eſt, & omnium vitiorum origo. Vnde cum Auguſtinus tractaret locum iſtum Apoſtoli, *Erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi &c.* finitâ illâ longâ ſcelerum catenâ, *Hæc omnia mala*, inquit, *ab eo velut fonte manant, quod primum poſuit, ſeipſos amantes.* S.Aug. 123. in Ioan. 2.Tim.3

Hinc amor ille ſui, eſt proprius civium terrenæ civitatis. Nam *fecernunt civitates duas, amores duo*, ait Auguſtinus: *terrenam ſcilicet amor ſui, uſque ad contemptum Dei, cæleſtem verò amor Dei, uſque ad contemptum ſui.* Re enim verâ contemnit Deum, qui omnia ad ſe derivat, quæ ad Deum deberent tendere, imò ipſum etiam Deum ad ſe, tanquam ad finem, detorquet. Hoc autem S.Aug. lib.14.c. 18. de Civit.

In Pſal. 77. tem facit terrenæ civitatis amor, *qui propter beneficia terrena Deum quærit*, ait Auguſtinus. Vnde alibi: *Perverſi* Lib. 11. c. 25. Civit. *frui volunt nummo*, tanquam fine, *uti autem Deo*, tanquam medio: *quoniam non nummum propter Deum impendunt, ſed Deum propter nummum colunt.*

V. Pondera verò iſta duo naturæ lapſæ, ſub uno generali nomine concupiſcentiæ carnalis comprehendit Auguſtinus; quam, Apoſtolum Ioannem ſecutus, in tres 1. Ioã. 2. fontes dividit, unde omnia peccata fluunt, in *Concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ*; id eſt, in libidinem ſentiendi, libidinem ſciendi, & libidinem excellendi. Vnde objectum adæquatum concupiſcentiæ carnalis, ſeu libidinis ſic generaliter acceptæ, eſt omnis creatura, etiam inſenſibilis & ſpiritualis, cujus amore perverſo homo peccare poteſt. Hæc enim Galat. 5 concupiſcentia eſt, qua *caro concupiſcit adverſus ſpiritum*, Iac. 1. & quæ *cum conceperit, parit peccatum.*

Et licet peccata quædam, ut libido ſciendi, & libido excellendi, circa creaturas ſpirituales verſentur, & in ſpiritu, non in carne hominis conſummentur; tamen carnalis concupiſcentia ad ea incitare hominis voluntatem poteſt & ſolet, quia *in quocumque ſive bonæ, ſive malæ voluntatis motu*, ait Ianſenius, *appetitus inferior velut pediſſequus dominam ſuam ſequitur, & erga phantaſma, ſuum velut idolum cum quo ludere ſolet, inſtar ſimiæ ſimiles amplexus imitatur.*

De importunis & continuis hujus generalis concupiſcentiæ ad malum ſollicitationibus, ex Magiſtro ſuo S. Aug. Ambroſio, pulchrè Auguſtinus: *Non enim in poteſtate* lib. 2. c. 3. cont. Iul. *noſtra eſt cor noſtrum, & noſtræ cogitationes, quæ improviſò offuſæ, mentem animumq; confundunt, atque aliò trahunt, quàm tu propoſueris, ad ſecularia revocant, mundana inſerunt, voluptuaria ingerunt, illecebroſa intexunt, ipſoque in tempore, quo elevare mentem paramus, inſertis inanibus cogitationibus, ad ter-*

109

ad terrena plerumque deijcimur.

Et quamvis aſperæ illæ & ſenſibiles tentationes interdum quieſcant, & tranquillitas rediiſſe videatur poſt tempeſtatem, tamen modicâ ſemper & imperceptibili aurâ aër fluctuat, & concupiſcentiæ pondus levi ſaltem inclinatione hac illac vacillat, voluntatemque ad alicujus creaturæ amorem vellicat, ut malè ei agglutinet. Dicit hoc eleganter, & Magiſtro Auguſtino conſentienter Ianſenius. *Longè latius patet*, inquit, *illud Apoſtoli, quàm vulgò putant, Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem. Nam quamvis illa notiſſima vitiorum, fornicationis, homidicij, & ſimilium deſideria, non ſemper nos irrequieta perturbent; ſunt aliæ tamen innoxiarum rerum cogitationes & appetitiones, quibus anima ſine ceſſatione, velut aër aurâ, ſenſibus humanis imperceptibili commovetur. Qui aër quamvis ſereniſſimus quieſcere videatur, moveri tamen ratio vera judicat. Nam ad omnes omnino actiones noſtras, hujuſmodi quamvis leviſſimi motus, voluntati prævolant, quibus conſentiendo, non ſolum peccata venialia vulgò nota committamus, ſed etiam actiones illas quibus corpori, vel animæ, juxta naturæ inſtituta, conſulimus, exequamur.* Hinc ergo fit, *ut impoſſibile ſit, ullum liberum voluntatis actum exeri, niſi illius amoris* ſuiipſius, *ſive naturalis, ſive ſuperadditi, deſiderio quodam involuntario præeunte provocetur.*

Ianſ. lib. 2. c. 25. de ſtatu naturæ lapſæ.

Quæ profectò, ſi vigilemus & ad omnes animi noſtri motus attendamus, vera deprehendemus. Iam enim pars noſtri inferior, ſuperioris freno deſtituta, more brutorum operatur: bruta verò motibus indeliberatis, ut quodque obiectum ſenſibus occurrit, in illud ſubitò & effrenatè proſiliunt.

VI. Deinde, etiamſi omnes omnino concupiſcentiæ, & terrenorum ponderum motus conquieſcerent, nihilominus creatum arbitrium ſuis viribus, omni gratiæ au-

xilio deſtitutum, nihil perfectè & undique bonum efficere poteſt; tale enim, ut poſtea dicam, aliquid ſupernaturalitatis admixtum habere debet. Vnde ecce, licet primi hominis & Angelorum liberum arbitrium nulla tentatione in contrarium ſollicitaretur, tamen adjutorio gratiæ *ſine quo non*, indigebat, *tanquam alimento, ſine quo vivere non poſſet*. Nam *liberum arbitrium*, inquit Auguſtinus, *ad malum ſufficit; ad bonum autem nihil eſt, niſi adiuvetur ab omnipotenti bono*. Loquitur autem de libero primi hominis adhuc recti & ſani arbitrio, cui tamen adjutorio *ſine quo non*, ſive *poſſibilitatis*, ad benè & perfectè operandum, opus erat. Quid ita? Dicit alibi: *Sicut enim oculus corporis pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere; ſic homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æternâ luce juſtitiæ divinitus adiuvetur, rectè non poteſt vivere*. Et poſtea, de eadem iterum *integra & ſana hominis natura* loquens, *quam modò non habemus*: *Ibi*, inquit, *eſſet adiutorium Dei, & tanquam lumen oculis ſanis, quo adiuti videant, ſe præbere volentibus*. Quod adjutorium, ſine dubio, erat actuale, ut ex comparatione cum adjutorio hominis lapſi patet, & ad ſingulos actus bonos erat neceſſarium, ſicut lumen ad ſingulos oculi aſpectus, ut rectè demonſtrat Ianſenius, & Conc. Arauſicanum Can. XIX. videtur definiviſſe.

S. Aug c. 11. 12. de cor rept.

Cap. 26 de nat. & grat.

Ibid. c. 48.

Ianſen. c. 11. de gratia primi hom.

VII. Quid igitur? Nonne homo etiam lapſus, poteſt opus moraliter bonum operari?

Omnino, bonum officium virtutis moralis, caſu aliquo ſaltem rariſſimo, operari poteſt. Nam homo lapſus, etiam infidelis, poteſt in opere ſuo puram honeſtatem humanam ſpectare, & perfectum objectum intrinſecum, quod Ariſtoteles in Ethicis finis, ſingulis virtutibus moralibus aſſignat, præcisè attingere, nec ad alium finem extrinſecum pravum referre. Tale autem virtutis officium ſecundum ſe bonum eſt, & in Deum

Deum referibile, ideoque ſummi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. in eo ſenſu, rectè propoſitionem iſtam damnaverunt: *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum vertutes ſunt vitia.* Nempe, prout Ariſtoteles & Theologi Scholaſtici poſt eum, de virtutibus & vitijs paſſim loquuntur.

Attamen talia etiam verarum virtutum officia, nullo perverſo fine intrinſeco adulterata, rariſſima ſunt apud infideles; quia *ſi diſcutiatur, quo fine fiant*, inquit Auguſtinus, *vix inveniuntur, quæ juſtitiæ debitam laudem defenſionemque mereantur.* Ad quem locum S. Auguſtini exiſtimo planè adſpexiſſe Pontifices, dum negant, *omnia opera infidelium eſſe peccata.* Sed pleraque tamen in avaritię, aut vanæ gloriæ, aut in alium aliquem pravum finem, intrinſecè eodem voluntatis affectu, aut extrinſecè alio, volitum ab ipſis detorquentur. *Finibus autem non officijs*, inquit Auguſtinus Iuliano, *noveris, à vitijs diſcernendas eſſe virtutes. Officium autem eſt quod faciendum eſt; finis verò, propter quod faciendum eſt.*

S. Aug. c. 27. de ſpir. & lit.

S. Aug. lib. 4. c. 3. cõt. Iul.

Si verò (quod vix accidit) nullo fine pravo officium virtutis adulteretur, rem altiùs & Chriſtianè contemplando, maculam, ſi non in ipſis officijs propriè hærentem, attamen in eodem ſubjecto ſemper conjunctam habent: relatione enim ad Deum, finem ultimum, carent. Nam licet *tolerabilius puniantur, quia naturaliter quæ legis ſunt, utcumque fecerunt*, ait Auguſtinus, *ſcriptum habentes in cordibus opus legis hactenus, ut alijs non facerent quod perpeti nollent; hoc tamen peccantes, quòd homines ſine fide, non ad eum finem iſta opera retulerunt, ad quem referre debuerunt. Minùs enim Fabricius, quàm Catilina punietur, non quia ille bonus, ſed quia iſte magis malus.* Otioſæ ergo, ut minimum, virtutes tales ſunt, quia illi fini non ſerviunt, cui deberent. Vnde & ideo veras ac conſummatas virtutes eſſe negat Auguſtinus. Quia *quidquid boni fit ab*

Ibid.

Ibid.

 homine,

intelligentiâ, inde ſuperbiâ receſſerant; quia cognoſcentes Deum, non ſicut Deum glorificaverunt &c. Vt enim verè Bernardus, *Non eſt eiuſdem facilitatis, ſcire quid faciendum ſit, & facere.* Et S. Thomas fatetur, *naturam humanam magis eſſe corruptam per peccatum, quantum ad appetitum boni, quàm quantum ad cognitionem veri.*

Lib. 4. cap. 3. contra Iul.

S. Ber. de grat. & lib. arbitr.

S. Tho. 1. 2. q. 104. a. 2.

Voluntatem ergo eorum, ut ſagittam, aut pondus terrenum in altum excuſſum, cogitare oportet, quod ubi ad ſummum venit, non ibi quieſcit, ſed pondere detrahente, in terram ſuam relabitur. Id eſt, ſi voluntas ſuis viribus diligat Deum, propter finem aliquem terrenum diligit, in quem pondere ſuo, velut ex alto recidit.

Dictum enim antè eſt, creaturam rationalem, amore naturali vergere in ſeipſam, tanquam in centrum, & omnia ad ſe, velut in finem ultimum *cui*, naturaliter referre. Vnde ſi amore naturali Deum attingat, neceſſe eſt, ut ad finem natutalem ponderis ſui illum referat: quomodo etiam diabolus, inquit S. Bonaventura, Deum diligit.

Quod fortaſſe nemo mirabitur, niſi qui incredibilem inter creatorem & creaturam diſtantiam non perpendit, ſed inæſtimabilem infiniti entis eminentiam, humanis imaginationibus ad terram uſque ferè deprimit.

Itaque Philoſophus infidelis Deum, ut ſummè & propter ſe amandum naturaliter cognoſcit, nec tamen ſic amare valet. Ratio petenda videtur ex parte diverſi modi agendi intellectûs & voluntatis. Nam intellectus objectum ſuum quodammodo in ſe rapit, & imaginem ejus in ſe talem qualem effingit. Vnde fieri poteſt, ut cujuſlibet objecti, etiam ſummi entis Dei, rudem ſaltem, ex creaturarum quadam ſimilitudine, imaginem adumbrare, ibiq; eam contemplando hærere poſſit. Amor verò eſt inſtar ponderis, quo voluntas in rem amatam quodam-

quodammodo extra ſe fertur, ut eam ad creaturam rationalem, cujus eſt voluntas, tanquam ad proprij amoris centrum reducat,illamque ipſi, tanquam fini *cui* maximè connaturali & proportionato applicet, ut ei per eam benè ſit. Deus autem eſt longè aliud centrum, & infinitè diſtans à centro naturali proprij noſtri amoris, in quod proinde naturali impetu niti non poteſt. Quemadmodum, ſi alius Mundus cum ſuis elementis ſupra cælos noſtros conſtituatur, nunquam terra noſtra pondere ſuo ſurſum aſcendet,ut in centrum alterius Mundi ſe abijciat,& requieſcat.

Sublimitas ergo Dei & puritas eſt nimis magna, ut pondus naturalis noſtri amoris eò ſcandere & ibi requieſcere poſſit, ſine admixtione terrenæ ſordis, id eſt, ſine reflexione ad ullum creatū finē,merè Deo inhærendo,quia ipſe eſt; quod eſt centrum charitatis Nam amor iſte eſt amicitiæ puriſſimus; idque ſive illo ametur Deus ſuper omnia, ſive ſimplici quadam complacentia, qua voluntas adhæreat Deo, nudè propter ipſum, nullius alîus finis creati contemplatione.Amor autē,qui ex ſolo fundo naturæ noſtræ oritur, tantæ puritatis capax non eſt, propter naturalem illam,ut dixi,inclinationem ad nos,aut alias creaturas quæ idem quodammodo nobiſcum reputantur, tanquam ad ponderis ſui naturale centrum.

Nec refert, quòd Deus ut Auctor & conditor naturæ conſideretur; quia etiam ut ſic, in infinitum magnitudine & puritate ſupra omnem creaturæ conditionem eſt elevatus. Nam omnipotentia, qua naturam condidit, eſt ens infinitum, & univerſam Dei perfectionem includit. Quid ergo mirum, quòd creatura rationalis in infinitam vilitatis abyſſum & immenſam à creatore ſuo diſtantiam abjecta,ex illa tam profunda depreſſione & humilitate,non poſſit naturali amoris pondere,redire

ſurſum

112

ſurſum ad ſuum conditorem, & ei incubare tanquam centro ſuæ gravitatis? Neceſſaria profectò eſt aliqua ex alto manus, quæ voluntatis pondus eò attrahat, & eam ibi affigat, ne deorſum in ſe & creaturas recidat.

Poſſemus etiam uti reſponſione P. Vaſquij: Quòd *ratio naturalis oſtendat quidem ſummam Dei bonitatem, ſed non oſtendat, Deum eſſe ſummè diligendum amore amicitiæ. Cum enim nullum inter nos & ipſum familiaritatem oſtendat, non poteſt etiam oſtendere amorem amicitiæ erga ipſum.* Vaſ.1.2. d.195.c. 4.

Sed reſponſio aliquantulum mihi ſuſpecta eſt, quia S. Auguſtinus ſæpe fatetur, Pythagoricos & Platonicos cognoviſſe naturali ingenij acumine, *Deum verum ac ſummum bonum eſſe, & Philoſophum amatorem Dei: nec dubitaſſe, hoc eſſe philoſophari, amare Deum.* Quod ſine dubio, de amore amicitiæ debet intelligi. Deinde, ſi hodie Turcæ, aut alij infideles credant Chriſtianis dicentibus, Deum eſſe puro amicitiæ amore diligendum, nunquam tamen ſine divinæ gratiæ auxilio, amorem iſtum à ſe impetrare poterunt. Quia, ut toties dixi, aliud eſt charitatis, aliud noſtræ cupiditatis centrum. *Animus autem velut pondere, amore fertur, quocunque fertur,* ait Auguſtinus. Et ut ſignificet, non idem eſſe charitatis, & cupiditatis centrum, *Iubemur itaque,* inquit, *detrahere de pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus charitatis.* Cupiditatem autem vocat, amorem, creaturæ propter ſe inhærentem. Propter hoc idem cupiditatis pondus S. Thomas negat, hominē lapſum ſine gratia poſſe naturali amore diligere Deum ſuper omnia; quia *propter corruptionem naturæ* (idem tamen etiam eveniet, ſi in puris naturalibus, ſine gratia conditus eſſet) *ſequitur bonum privatum, niſi ſanetur per Dei gratiam.* Conſentiunt Thomiſtæ, & plerique Scholaſticorum, qui amorem Dei ut Auctoris naturæ, docent eſſe ſupernaturalem ſaltem quoad modum, quia X. S. Aug. lib.8. c.9. Ciuit. S. Aug. Epi. 89. S. Tho. 109. a.3. 1.2. q.

ſine gratia pondus humanæ voluntatis elevante, non poteſt elici. Bannez verò, Vaſquez, & quidam alij, negant cum Janſenio, ullum amorem amicitiæ Dei eſſe naturalem. Et re vera, Auguſtinus & Concilia, quando reijciunt amorem Dei naturalem, quem Pelagius aſſerebat, non diſtinguunt, an amor iſte, Deum ut Auctorem gratiæ, an ut Auctorem naturæ attingeret, ſed omnem omnino refellunt; tanquam ſi omnis ex terra noſtra oriundus amicitiæ amor, ſit nimis humilis & impurus, ut Deum purè propter ſe, ibi hærendo, ſub quacunque

Vaſ. 1. 2. d. 195. c. 2. ratione attingat. *Nec deſunt ex Schola S. Thomæ, & Familia etiam Dominicana*, ait Vaſquez, *qui dicant amorem amicitiæ erga Deum, eſſe ſolum amorem charitatis ſupernaturalem, & nullum alium.* Et citato Dominico Bannez, *Et ſane*, inquit, *quamvis S. Doctor concedat duplicem amorem Dei ſuper omnia, alterum ut finis naturalis, alterum ut finis ſupernaturalis; nunquam tamen in Summa docuit utrumque eſſe amorem amicitiæ erga Deum.* Et in doctrinæ hujus favorem etiam citat Scotum.

IX. Hinc apparet, quomodo explicari poſſit Articuli Pij V. & Gregorij XIII ex doctrina S. Thomæ decerpta damnatio: *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut Auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator eſt, vana eſt, & commentitia, ad illudendum ſacris litteris, & plurimis veterum teſtimonijs excogitata.* Nam Vaſquez ait, S. Thomam in Summa non meminiſſe amoris amicitiæ Dei, etiam ut Auctoris naturæ, qui ſit naturalis. Et ſanè, quid ad materiam morum, in ſententia S. Thomæ, amor iſte naturalis prodeſt, cum à nullo infideli, aut fideli elici poſſit, ſine gratia

S. Tho. 1. 2. q. 109. a. 3. excitante & ſublevante voluntatem; quæ aliàs, ait S. Thomas, *ſequitur bonum ſuum privatum.*

Dici quoque poteſt, amorem Dei ut Auctoris naturæ, etſi re verâ in ſubſtantia ſupernaturalis ſit, tamen eſſe

eſſe inferioris ordinis, quàm ſit amor Dei, ut Auctoris gratiæ, ideoque comparatione ejus, eſſe quodammodo naturalem. Altiori enim & nobiliori glutino voluntas affigitur Deo ut fonti gratiæ, quàm ut fonti naturæ, etiamſi utrumque ſit ſupernaturale. Gradus enim quoſdam eſſe inter res ſupernaturales, & quaſdam depreſſiores ac naturalibus magis vicinas; quaſdam eminentiores & remotiores eſſe, nemo neſcit. Nam fides, & viſio beatifica ſunt actus ſupernaturales; ſed viſio longè ſupernaturalior, fides autem cognitioni naturali magis appropinquat, Simile diſcrimen inter charitatem viæ & patriæ interponunt non pauci.

Quia igitur Deus ut naturæ Auctor magis naturæ noſtræ appropinquat, & quodammodo altitudinem ſuam, creando, conſervando, gubernando naturam, nobis inclinat; ideo centrum iſtud non tam infinito, ut ſic dicam, intervallo à centro naturalis ponderis voluntatis noſtræ diſtat; unde minoris gratiæ molimine eò elevari poteſt. Hinc quoque ſequitur, ut capacitas naturalis inchoata (quam voluntas ad amorem Dei habet, juxta ea quæ cap. V. diſſeruimus) reſpectu amoris Dei ut Auctoris naturę, quàm ut Auctoris gratię, major & amplior ſit; ac proinde paulò minùs quàm capacitas perfectè naturalis.

Sed Vaſquio alia illius damnati Articuli explicatio ſufficit, quam à Franc. Toleto accepit, qui diploma Pontificum An MDLXXX. Lovanij promulgavit. In illo enim Articulo, *nihil agitur de materia propoſitionis*, inquit Vaſquez, *quod ſpectat ad duplicem amorem*, *ſed quod* Vaſ. 1. 2. d. 95. *attinet ad nimis auſteri & ſeveri judicij libertatem*, *qua per-* c. 4. *ſtringit Auctor ille Doctores, qui prædicta diſtinctione utebantur.* In qua hujus Articuli ſimiliumque explicatione, Vaſquio & Toleto potiùs, quàm Suario alijſq; credendum eſſe exiſtimat Luiſius Turrianus, Theol. Societ. Ieſu Complutenſis.

rectus finis ? *Summum bonum*, inquit, *quò cuncta referuntur. Ideo finis ibi dicitur, quia jam quò excurrat, & quò referatur, non invenitur. Ibi requies appetendi, ibi fruendi ſecuritas, ibi tranquilliſſimum gaudium optimæ voluntatis.* Vnde actionem quæ ad finem iſtum refertur, *recti itineris actionem* appellat. *Omnia in gloriam Dei facite*, ait ad Eudoxium Abbatem, *qui operatur omnia in omnibus: ipſa enim eſt actio recti itineris, quæ oculos ſemper habet ad Dominum.* Epiſt 56 Epiſt 81.

II. Conſiderat enim homines tanquam peregrinos & viatores, quibus datæ ſunt creaturæ, tanquam vehicula, per quæ moveri & tendere perpetuo & recto itinere debent in patriam. Ait enim rebus creatis *utendum, non quaſi manſoriâ quadã dilectione atque delectatione, ſed tranſitoriâ potiùs, tanquam viæ: tanquam vehiculorum, vel aliorum quorumlibet inſtrumentorum; ut ea quibus ferimur, propter illud ad quod ferimur, diligamus.* Lib. 1. c. 4. 35. Doctr. Chriſt.

Vnde ſolo Deo fruendum eſſe dicit. *Frui enim*, inquit, *eſt amore alicui rei inhærere propter ſeipſam.* Quo modo ſoli Deo, fini ultimo, creatura rationalis affici debet: Creaturas quippe non propter ſeipſas, ſed propter Deum, diligere oportet. Si enim propter ſe diligantur, id eſt ſine relatione vlteriori ad Deum finem ſuum, vitioſa cupiditas eſt, prohibita per dilectum Apoſtolum, *Nolite diligere Mundum, neque ea quæ in Mundo ſunt.* 1. Io. 1. Si enim creaturæ *inhæſeris atque permanſeris*, ait Auguſtinus, *finem in ea ponens lætitiæ tuæ, tunc verè & propriè frui dicendus es. Quod non faciendum eſt, niſi in illa Trinitate, id eſt ſummo & incommutabili bono.* Vti ergo tantùm oportet creaturis, id eſt, *eas ad id quod amandum eſt, referre.* Amandus autem propriè ſolus Deus, juxta Auguſtini ſanctam Theologiam; quia amor in complexu rei amatæ hæret, ibique lætitiæ ſuæ finem ponit, eo ipſo, quo per eam ad complexum alterius non tranſit. Lib. 1. cap. 33. doctr. Chriſt.

Sed Monachis, dicet fortaſſè quiſpiam, hæc tantùm

 ſcripſit

ſcripſit Auguſtinus. At profectò falletur, & puritatem ſanctitatemque Chriſtianæ religionis ignorat quiſquis hoc dicit. Ad omnem omnino Chriſtianum loquitur, perinde ac Scriptura ſacra, unde doctrinam ſuam hauſit.

III. Nec S. Auguſtini tantùm, ſed Proſperi, Fulgentij, S. Gregorij, & omnium diſcipulorum ejus eſt hæc Theologia. Pulchrè S. Proſper: *Quamdiu homini ea placent, quæ Deo diſplicent, voluntas ejus animalis eſt: quia etiamſi IN BONIS MORIBVS agat, malè adhuc vivit, ſi non in Dei gloriam vivit. Hoc enim eſt proprium & præcipuum piorum, ut in Domino glorientur, nec ſe, niſi in Deo, diligant.*

S. Proſ. lib. 1. c. 6. de vocat. gent.

Eadem quoque mens vetuſtiorum Patrum, Hieronymi, Chryſoſtomi, Baſilij, Origenis. *Quorum hac in re tantus conſenſus eſt*, ait Ianſenius, *ut S. Epiſcopus Roffenſis glorioſuſq; Martyr dicat, eſſe ſententiam omnium Patrum, etſi Scholaſtici diſſentiant.* Abducti videlicet paulatim à SS. Patrum diligenti ſtudio, & à vero, lectione & admiratione Ariſtotelis, quem recens ex Hiſpania, cum laudibus ſupra humanas, miſerat ijs Averroès, ut Cap. I. narravimus. Cum enim eum omnium virtutum moralium officia, per materias circa quas proximè verſantur, fusè & accuratè tractantem legerent, novitate & elegantia Operis abrepti, ſenſim oblviſci cœperunt quod Patres ijs tradiderant: nempe præter demiſſam quandam honeſtatem creatam, quæ in objectis virtutum moralium cernitur, elevationem etiam, qua in Deum fontem ſuum refundantur, neceſſariam eſſe, ut conſummatæ virtutis nomen recipiant.

Ianſen. lib. 4. cap. 17. de ſtat. naturæ lapſæ.

Quam doctrinam videtur Conc. Arauſicanum in Canonem etiam alligaſſe, ubi definit, *Quòd per peccatum primi hominis, ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſtea aut diligere Deum, ſicut oportuit, aut credere*

Concil. Arauſ. can. 25.

credere in Deum, aut OPERARI PROPTER DEVM quod bonum eſt, poſſit, niſi gratia eum & miſericordia prævenerit. Vbi ſummatim omne opus bonum videtur voluiſſe complecti, cum dixit, *aut operari propter Deum.* Quod Can. VI. vocat, *agere ſicut oportet.* Idem can.6.

IV. Hanc quoque doctrinam optimi hodie Interpretum colligunt ex iſta ſimilibuſque Scripturis: *ſive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Vbi doctiſſimus Interpres Guil. Eſtius probat eſſe verum præceptum, & eundem ſenſum Sancto Thomæ, ex varijs teſtimonijs adſcribit. Sanè enim quid expreſſius iſtis verbis? *Ex præcepto tenemur omnia in gloriam Dei facere.* Item alibi: *In Hyacinthinis vittis*, inquit, *quæ pallijs Iudæorum inſerebantur, ſignificatur cæleſtis intentio, quæ omnibus operibus noſtris debet adjungi.* Item, *omnia quæ facimus, debemus in Dei reverentiam facere.* 1.Cor. 10. S. Tho. 2.2.q. 69.a.1. Idem 1.2.q.102 a.5.ad 7. Idem 2.2.q. 83.a.14.

Deinde: *Non eſt recta voluntas alicujus hominis*, inquit, *volentis aliquod bonum particulare, niſi referat illud in bonum commune, ſicut in finem. Ex fine autem ſumitur quaſi formalis ratio volendi illud quod ad finem ordinatur. Unde ad hoc, quòd aliquis recta voluntate velit aliquod particulare bonum, oportet quòd illud ſit volitum materialiter, bonum autem commune divinum ſit volitum formaliter.* Idem 1.2.q.19. a.10.

Non neſcio, quoſdam aliter iſta contorquere. Sed ecce aliquid etiam evidentius.

Alibi docet, quòd *oratio ſecundum ſe conſiderata, non poſſit eſſe aſſidua, quia oportet alijs operibus occupari, ſed tamen in cauſa ſua quod eſt deſiderium charitatis, debet eſſe continua.* Idem 2.2.q. 83.a.14.

Hoc verò deſiderium charitatis ait, *in nobis debet eſſe continuum vel actu, vel virtute: manet enim virtus hujus deſiderij in omnibus quæ ex charitate facimus. Omnia autem debemus in gloriam Dei facere, ut dicitur* 1. Cor. 10.

Quæ ex S. Auguſtini Epiſtola ad Probam deſumpſit. *In ipſa fide & ſpe & charitate*, inquit, *continuato deſiderio* S. Aug. Epiſt. 121.c.9.

ſemper

ſemper oramus. Sed ideo per certa intervalla horarum & *temporum, etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum ſignis nosipſos admoneamus, quantumque in hoc deſiderio profecerimus, nobiſipſis innoteſcamus, & ad hoc augendum noſipſos acrius excitemus. Dignior enim ſequetur effectus, quem ferventior præcedit affectus.* Ecce, ut deſiderium charitatis, in quo tanquam in cauſa oramus, velit eſſe continuum & per omnia opera noſtra ambulare. Nec dubium, quin S. Thomas Magiſtri ſui mentem tam claram perceperit, & ſuam ei conformaverit. Vnde alibi quoque eum ſecutus, *ſolo Deo fruendum eſſe*, ait, *homine autem in ſe non*
S. Tho. *eſſe fruendum, ſed in Deo: quod eſt delectari in homine pro-*
Rom. 15 lect. 3. *pter Deum.* Nempe, quia fruitio, ſeu amor noſter in creatura figi non debet, ſed per eam tranſire ad Deum. Alio loco verba Apoſtoli enarrans, *Omne quodcumque*
Coloſſ. 3. lect. 3 *facitis in verbo, aut in opere &c.* idem Sanctus ait: *Quidam dicunt, quòd hoc eſt conſilium. Sed hoc non eſt verum.* Addit verò aliqua, quæ ſententiam S. Auguſtini videntur deſtruere; ſed tamen rectè intellecta, non faciunt. *Sed dicendum eſt*, ait, *quòd non ſit neceſſarium, ut omnia in Deum referantur actu, ſed habitu: qui enim facit contra gloriam Dei & præcepta ejus, facit contra hoc præceptum:* nempe ſimpliciter, ſeu peccando mortaliter. Nam S. Thomas alibi docet, peccatum veniale non eſſe propriè contra, ſed ſolum præter Dei legem. Vnde hic non ſignificat, nullum committi peccatum ſaltem veniale, ſi verba & opera noſtra bona, vel indifferentia non referamus actu, vel virtute in Deum. Hinc mox adjicit: *Venialiter autem peccans, non facit contra hoc præceptum ſimpliciter* (id eſt, mortaliter;) *quia licet non actualiter, tamen habitualiter refert omnia in Deum.* Quia nempe, habitum charitatis ſervat, quæ per peccatum veniale non deſtruitur, & ſic cenſetur habitualiter ſaltem manere inclinatus, ut referibilia omnia referat ad Deum. Sic

enim

enim diſertè alibi ſe explicans: *Sufficit*, inquit, *quòd aliquis habitualiter referat ſe & omnia ſua in Deum, ad hoc ut non ſemper mortaliter peccet, cùm aliquem actum non refert in gloriam Dei actualiter. Veniale autem peccatum non excludit habitualem ordinationem actus humani in laudem Dei, ſed ſolum actualem; quia non excludit charitatem, quæ habitualiter ordinat in Deum*. Vnde evidenter patet, quòd *habitualiter* hic longè aliter ſumat, quàm *virtualiter* 22. *q*. 83. *a*. 14. quando dixit, *deſiderium charitatis in nobis debere eſſe continuum vel actu, vel virtute*. Nam peccatum veniale eo ipſo tantum, cenſetur habitualiter referri in Deum, quia habitum charitatis non excludit: virtualiter tamen non refertur, id eſt virtute alicujus actus præcedentis, quia nullum peccatum etiam veniale, eſt capax actualis vel virtualis relationis, propter malitiam inhærentem, quæ Deo diſplicet. Idem 1. 2. q.88. a.1.ad 2

Vnde alio loco apertiſſimè: *Aliud eſt habitualiter referre in Deũ, & aliud virtualiter. Habitualiter enim refertur in Deũ, & qui nihil agit, nec aliquid actualiter intendit, ut dormiens. Sed virtualiter aliquid referre in Deum, eſt agentis propter finem, ordinantis in Deum. Vnde habitualiter referre in Deum non cadit ſub præcepto: ſed virtualiter referre omnia in Deum cadit ſub præcepto charitatis; cùm hoc nihil aliud ſit, quàm habere Deum vltimum finem*. Sed nonne, inquies, ſatis habet Deum ultimum finem, quando ſolum bonum aliquod particulare intendit? Videtur enim ibi hoc indicare: *Sicut in cauſis efficientibus*, ait, *virtus primæ cauſæ manet in omnibus cauſis ſequentibus; ita etiam intentio principalis finis virtute manet in omnibus finibus ſecundarijs. Vnde quicumque intendit aliquem finem ſecundarium, virtute intendit finem principalem.* Idem q. diſput. de cha-rit. a.11 ad 3. Ibid. ad 2.

Imò verò oppoſitum pro nobis hinc colligi poteſt. Nam ſicut virtus primæ cauſæ efficientis concurrit cum cauſis efficientibus ſecundis, quæ participãt virtu-

tem ejus; ita finis principalis concurrere debet cum finibus ſecundarijs. Concurrit autem per primam intentionem finis principalis, virtute cujus voluntas excitatur ad amandos fines ſecundarios: unde tendendo in iſtos, cenſetur etiam virtute tendere in finem principalem, & illum amare, quia propter ipſum, in initio ſaltem, actu amatum, fines ſecundarij iam amantur; etiamſi omnis memoria finis principalis fortaſſe evanuerit. Quod explicat eleganter S. Thomas ſimilitudine Medici, qui ex intentione ſanitatis, herbas ad pharmacum colligit, primæ ſuæ intentionis oblitus. Et alibi clariſſimè, niſi Interpretes quidam obſcurarent: *Non*
Idem 1. 2. q. 1. a. 6. ad 3. *oportet, ut ſemper aliquis,* inquit, *cogitet de ultimo fine quandocumque aliquid appetit vel operatur; ſed virtus primæ intentionis, quæ eſt reſpectu ultimi finis manet in quolibet appetitu cujuſcumque rei, etiamſi de ultimo fine non cogitetur: ſicut non oportet, quòd qui vadit per viam, in quolibet paſſu cogitet de fine.*

Idem 1. 2. q. 100. a. 10. Quando ergo idem Doctor Sanctus negat, *modum charitatis cadere ſub divinæ legis præceptum de actibus aliarum virtutum*; apertè loquitur de ſpeciali charitatis præcepto obligante ſub mortali ad diligendum Deum ſuper omnia, ut patet ex Argumento, *Sed contra.* Relatio autem operis alterius præcepti in Deum (ut v.g. honorandi parentes) non indiget tali amore Dei ſuper omnia, ſed levi ſolùm erga Deum complacentiâ, quâ actus debitè ordinetur in ſuum finem; quia Deus vult omnia in Mundo eſſe ordinatiſſima.

Scio Interpertes quoſdam S. Thomæ mentem aliò vertere. Sed ſenſus quem attulimus videtur ſcriptis ejus alibi magis concors; imò, niſi eum recipimus, vix, puto, à contradictione quiſquam eum liberaverit.

V. Cùm verò S. Thomas alijs locis negat omnia opera infi-

ra infidelium eſſe peccata, loquitur de operibus, ut ſunt officia moralium virtutum, quas in Ethicis ſuis deſcribit Ariſtoteles, cui tum Scholæ Theologorum aſſueſcere incipiebant. Nam ſicut fidelis, inquit, *poteſt aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem, vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando, ita etiam infidelis poteſt aliquem actum bonum* (ex proximo objecto) *facere, in eo quod non refert ad finem infidelitatis.* Ex quo ſequitur, actum illum nec ex fine proximo & intrinſeco, nec ex relatione ad malum extrinſecum, vitiari. Interim licet nihil ei ex parte officij talis virtutis deſit, deeſt tamen vltimum & generale quoddam complementum bonitatis. Quomodo accipi poteſt quod alibi dicit: *Sine charitate poteſt quidem eſſe aliquis actus bonus ex ſuo genere, non tamen perfectè bonus; quia deeſt ordinatio debita ad finem vltimum.* Et poſtea: *Non poteſt eſſe ſimpliciter vera juſtitia, aut vera caſtitas, ſi deſit ordinatio debita ad finem, quæ eſt per charitatem, quantumcumque aliquis ſe rectè circa alia habeat.* Idem 2. 2. q. 10. a. 4. Idem 2. 2. q. 23. a. 7.

Cùm tamen eruditiſſimus Interpres Eſtius addit, præceptum iſtud, omnia referendi in Deum, eſſe datum ſolùm fidelibus, manifeſtè extra regiam & S. Auguſtini viam diſcedit. Nam quando officium virtutis in infidelibus, ex genere ſuo & objecto bonum eſt, peccatum tamen ſemper aliquod admiſceri docet Auguſtinus, nempe carentiam relationis in finem vltimum, quò ex præcepto referri deberet. Cenſet igitur apertè, præceptum naturale eſſe, & obligare etiam infideles; quam obligationem à Philoſophis Platonicis non fuiſſe ignoratam, aliquoties ſcribit. Eſtius 1. Cor. 10.

VI.

Ratio eſt, quia lex Dei æterna, eſt *ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans.* Sapientiſſimus enim Mundi Conditor *omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuit.* Nec tantum S. Aug. lib. 22. cap. 27. contra Fauſt.

pondera elementorum, quæ propter hominem creavit, ſed maximè pondera amorum ipſius hominis, & omnis creaturæ rationalis ordinavit. *Æterna enim lege juſtum*
Lib. 1. c. 6. de lib. arb. *eſt, ut omnia ſint ordinatiſſima.* Ordo autem naturalis ponderum amoris eſt, ut creaturæ rationalis amor in Deo ſolo requieſcat, ad quem tanquam grave ad centrum ſuum creata & inclinata eſt. Ideo Apoſtolus
1. Io. 2. clamat, *Nolite diligere Mundum, neque ea quæ in Mundo*
S. Aug lib 12. c. 8. Ci. vit. *ſunt.* Sic enim voluntas creata *deficitur, non ad mala, ſed malè: id eſt, non ad malas naturas; ſed ideo malè, quia contra ordinem naturarum, ab eo quod ſummè eſt, ad id quod minus eſt.* Nam *pondus non ad ima tantum eſt, ſed ad locum ſuum.*
Lib. 13. cap. 9. Confeſſ *Ignis ſurſum tendit, deorſum lapis. Ponderibus ſuis aguntur, loca ſua petunt. Minus ordinata inquieta ſunt, ordinantur & quieſcunt.* Quid inde? Quò omnia hæc tendunt? Dicit mox Auguſtinus alloquens Deum: *Pondus meum, amor meus, eo feror, quòcumque feror. Dono tuo accendimur, & ſurſum ferimur. Inardeſcimus, & imus. Aſcendimus aſcenſiones in corde, & cantamus canticum graduum.* Nempe, velut ignis centrum, ſurſum eſt, illucque ſcandit, aut nititur perpetuò, donec perveniat; ita centrum animæ noſtræ in ſublimi, & Deus eſt. Ad illum ſemper in omni opere per amoris pondus aſcendere, aut niti oportet. Nec idcirco hoc præceptum, quod affirmativum eſt, ſemper obligat, ſed quoties creatura rationalis aliquid
Lib. 3. cap. 10. doctrin Chriſt agere parat. Hoc omnes Scripturas dicere & clamare putat Auguſtinus: *Non enim præcepit Scriptura, niſi charitatem,* inquit, qua Deum in ſe, aut in omnibus creaturis ſuis amamus, *nec culpat, niſi cupiditatem,* qua Mundum, id eſt creaturas Mundi propter ipſas, ſine relatione ad creatorem diligimus.

Sicut enim ignis, ſi culpæ capax eſſet, peccaret tanquam ordinis Vniverſi perturbator, ſi in terra hæreret, nec ſurſum ad locum ſuum ſcanderet, cùm poſſet; ita peccat

peccat creatura rationalis, quando ordinem amandi perturbat, in creaturis amorem ſuum figens, nec ultra eas in cælum & Deum evolans. Hanc puram & ſanctam Theologiam ex Scripturis ſanctis, quarum ſenſum Spiritus ſanctus ei revelavit, didicit Auguſtinus; & altiſſima infiniti Dei noſtri majeſtas, ſi puris & Auguſtinianis oculis inſpiciatur, meretur hoc à creatura ſua rationali quaſi vectigal: ut omnes, inquam, ejus motus & cogitationes ad eum tanquam flumina in mare ſuum, revertantur.

VII. Nec Rabbini Iudæorum hoc neſcierunt. *Scito*, inquit Rabbi Moyſes Maimon, *quamvis ſapientiſſimus omnium eſſes in veritate ſapientia divina, ſi cogitationes tuas convertas ad alias res, veluti victum, amictum, & ſimilia, te jam abſcidiſſe conjunctionem, qua eſt inter te & Deum, neque amplius te cum ipſo, vel ipſum tecum eſſe. Hinc Sancti adeo ſunt anxij & ſolliciti de illis horis, in quibus non cogitant de Deo. Vnde David: Poſui Dominum coram me ſemper &c.* Et poſtea: *Si præceptum aliquod legis membris tuis facias, ut ſi forſan fodias, aut ligna in ſilva amputes, ſine conſideratione illius quod facis, vel illius qui id mandavit, aut finis propter quem laboras: ſi, inquam, hoc pacto divinos iſtos cultus peragas, noli exiſtimare, te finem aſſecutum eſſe, ſed eris de numero eorum, de quibus dicitur, Prope es ori eorum, ſed longè à renibus ipſorum.*

Maimõ Part. 3. c. 51. Pſal. 15 Ierem. 12.

VIII. Sed nec Philoſophi Gentiles hanc legem ignoraverunt. Nam ideo tam ſolennis & ſollicita apud eos de finibus bonorum & malorum diſputatio; ut nempe ſcirent, quidnam eſſet ſummum bonum, quò perpetuò collimare, & omnes actiones ſuas referre deberent. Dicit hoc Torquatus Epicureus, apud Ciceronem. *Quærimus*, inquit, *quid ſit extremum, quid ultimum bonorum: quod omnium Philoſophorum ſententia debet eſſe tale, ut ad id omnia referri oporteat, ipſum nuſquam. Hoc Epicurus in voluptate ponit, quod ſummum bonum eſſe vult, ſummum-*

Cic. lib. 1. de Fin.

Lib.5. *que malum*, *dolorem.* Et Piſo apud eundem: *Summum*
de fin. *bonum ſi ignoretur, vivendi rationem ignorari neceſſe eſt. Ex quo tantus error conſequitur, ut quem in portum ſe recipiant, ſcire non poßint. Cognitis autem rerum finibus, cùm intelligitur, quid ſit & bonorum extremum & malorum, inventa vitæ via eſt, confirmatioque omnium officiorum.* Scitur enim jam quò dirigendus arcus, in quem ſcopum mittendæ ſagittæ officiorum.

Quemadmodum igitur Epicurei in omni ſuo motu & actu voluptatem intendebant, quia ſummum bonum in ea collocabant; ita nos, qui Deum ſummum noſtrum & beatificum bonum cognoſcimus, omnia virtutum officia ad ipſum dirigere debemus. Nam Philoſophi Platonici qui Deum ſummum bonum eſſe, nobis conſentiebant, ad eum etiam omnia referenda, &
S.Aug. *Philoſophari, eſſe amare Deum,* dicebant; licet puro, & qui ad
lib.8. creaturas non reflecteretur, amore eum amare non poſ-
c.9. Civit. ſent, quia gratiâ Dei, qua ſola figi in Deo amor noſter poteſt, deſtituti erant. Verumque erat in ijs, quod olim Lacon quidam de Athenienſibus, Sciunt Athenienſes quid rectum ſit, ſed non faciunt.

Obligationem illam aſpiciendi quærendique gloriam Dei in omnibus noſtris operibus, alia imagine
Lyran. nobis repræſentat Lyranus. *Tota creatura,* inquit, *ordi-*
1.Cor. *natur ad Deum, ſicut exercitus ad Ducem, ut habetur* 12. *Me-*
10. *taphyſ. Exercitus autem bene ordinatus, primò & principaliter quærit gloriam Ducis, quod eſt victoria. Eodem modo omnis creatura, & potiſſimum rationalis, in omnibus operibus ſuis, primò & principaliter debet quærere gloriam Conditoris.*

Hoc tamen monet rectè, ne quiſquam fallatur, Ianſenius. Non eſſe peccatum, niſi veniale, obiecto creato aliàs honeſto frui, ſine relatione ad Deum; modò actu tantum, non habitu ei inhæreatur: id eſt, modò ex vi

talis

119

talis affectûs rei creatæ affixi, animus non ſit ita habitualiter diſpoſitus, ut mallet creatorem, quàm creaturam deſerere.

Sed, quare relatio iſta in Deum debet, inquies, per amorem fieri? IX.

Quia, inquam, debet fieri per talem affectum, quo voluntas Deo inhæreat propter ſe, & tanquam ultimo fini: hic autem affectus neceſſariò eſt amor quidam amicitiæ, ut ex objecto ejus patet. Hoc quoque ex innumeris Scripturis colligit Auguſtinus. *Nam in eo* (gradu ſcientiæ) *ſe exercet omnis divinarum Scripturarum ſtudioſus*, ait, *nihil aliud in eis inveniens, quàm diligendum eſſe Deum, & proximum propter Deum. Et illum quidem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligere; proximum verò tanqnam ſeipſum: id eſt, ut tota dilectio proximi, ſicut etiam noſtri, referatur in Deum.* Nam ut reſolutè alibi: *Amor fruendi quibuſcumque creaturis, ſine amore creatoris, non eſt à Deo.* Cùm *ſine hoc amore creatoris, nullus quiſquam bene utatur creaturis.* S. Aug. lib. 2. c. 7. doctrin. Christ. Lib. 4. cap. 3. contra Iul.

Et ibidem, intentionem ultimi finis, per *ſimplicem* Euangelij *oculum* explicans: *Intellige*, clamat ad Iulianum, *quod ait Dominus: Si oculus tuus nequam eſt, totum corpus tuum tenebroſum erit, ſi autem oculus tuus ſimplex eſt, totum corpus tuum lucidum erit: & hunc oculum agnoſce intentionem, qua facit quiſque quod facit. Et per hoc diſce, eum qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc eſt, eius quæ per dilectionem operatur, totum quaſi corpus, quod illis, velut membris, operibus conſtat, tenebroſum eſſe, hoc eſt, plenum nigredine peccatorum.* Nam quia fides eſt principium dilectionis, oſtendens Deum ut finem ultimum, in omnibus diligendum, idcirco infideles, qui fide, etiam dilectione Dei carent: & conſequenter, quia lucidum intentionis oculum non habent, totum operum corpus eſt tenebroſum. Hinc tam ſæpe inculcat, fidem eſſe Matt. 6.

omnis

S. Aug. Pſal.33. omnis boni operis principium: *nemo enim incipit*, ait, *niſi ab initio fidei.*

X. Hæc porrò dilectio creatoris, eſt mel quoddam & ſuavitas, quę quaſi ſuffunditur operibus bonis, & in Deum ſuaviter, & ſæpe furtim effunditur, ut opus bonum ad eum vehat, & ei quaſi agglutinet. Vnde in actibus omnibus etiam ſupernaturalibus fidei, ſpei, religionis &c. admiſcetur. Vult enim Deus iſtis actibus quidem coli, ſed ſimul etiam libenter coli, & cùm amoris quadam dulcedine, quia ipſe eſt, & propter ipſum; quod eſt objectum amoris amicitiæ. Non enim vult vota noſtra v. g. aut alias obligationes noſtras ſibi ſolvi, ut debita ſolent inimicis, cum animi quadam auerſione, ſed cum benevolentia ſaltem imperfecta, & molli inclinatione voluntatis erga ipſum tanquam patrem, & S.Greg. hom.17 in Euan Deum noſtrum. Vnde *omne mandatum de ſola dilectione eſt & omnia unum præceptum ſunt*, ait S. Gregorius, *quia quidquid præcipitur in ſola charitate ſolidatur. Multa ſunt per diverſitatem operis, unum in radice charitatis*. Et S. Augusti- Rom.13 nus verba Apoſtoli, *Plenitudo legis eſt dilectio*, ſæpe explicat, de impletione uniuſcujuſque præcepti legis, per dilectionem charitatis, ad omne opus perfectè bonum S.Aug. lib.17.c. 6.cont. Fauſt. neceſſariæ. *Neſciunt iſti*, inquit, *quomodo impleat legem, qui ſic vivit ut lex præcipit: Plenitudo enim legis, charitas.*

Hinc etiam quando bene operamur ſpe mercedis & propter retributionem æternam, Tridentinum jungit, Conc. Trid. Seſſ.6. c. 11. ut *in primis glorificetur Deus*: quod fit actu amoris, quo cæleſtem gloriam noſtram in gloriam Dei, tanquam ſuum fontem reflectimus.

Nec tamen hinc conſequens eſt, ut ſoli juſti juſtitiâ Ianſen. lib. 1.c. 12. de ſtat puræ nat. propriâ & ſanctificante, poſſint bene operari; quia, ut ſæpe ex Auguſtino repetit Ianſenius, amor & charitas, qua fit relatio operum in Deum, *non eſt celebris ille amor Dei ſuper omnia; ſed omnis amor Dei ſincerus, ſeu complacen-*

placentia Dei caſta, quamvis tenuiſſima, qualis eſt in gravibus peccatoribus, & in iis qui incipiunt credere.

Et diffuſius alibi: *Auguſtinus charitatem accipere plerumque ſolet pro dilectione, qua verè, ſincere, & gratis, ex animo propter ſeipſum, nullius creaturæ, ſed ipſius ſolius intuitu diligitur Deus; ſive ad illam pertingat perfectionem, ut ſupra omnia creata diligatur, ſive in ſimpliciori & inferiori affectu hæreat. Nam talis amor, quantumcumque remiſſus, exilis, ac tenuis, eſt veriſſimus & caſtiſſimus fructus charitatis Dei, ſive dilectionis amicitiæ, nulla concupiſcentiæ ad ſe reflexæ perverſitate diſtortus.* Veluti enim patrem noſtrum terrenum non ſemper amamus, quantum eſt amabilis à nobis;ita profectò non videtur ratio, cur amor erga cæleſtem patrem Deum,debeat ſemper objecto ſuo, ut ſic dicam, adæquari, & verſari circa ipſum, ut eſt ſummè & ſuper omnes creaturas diligibilis.Poteſt enim ſeorſim à creaturis ſpectari, nec ad eas comparari, ſed ſimplici tantum complacentiâ, tanquam ens ſummum attingi; affectu tamen ibi hærente, nec ad creaturas per eum relabente; ut ſolet affectus avarorum, qui propter divitias Deum colunt,*fruentes nummo, utentes Deo,*ut loquitur Auguſtinus.

Idem lib.5.c. 7. de gratiâ Chriſti.

Hoc non advertit olim Auctor Articulorum, quos damnaverunt Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. qui charitatem apud Auguſtinum videtur ſemper intellexiſſe perfectam & propriè juſtificantem,qua Deus ſuper omnia diligitur: cum tamen *charitas inchoata, inchoata juſtitia ſit, charitas provecta, provecta iuſtitia.* Illa charitas inchoata, eſt in fidelibus peccatoribus, quando tacti à Spiritu ſancto, converti ad Deum,& *illum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt.*

S.Aug. c.ult.de nat. & grat.

Conc. Trid. ſeſſ.6.c. 6.

Illâ ſaltem juſtitiâ inchoatâ juſtus eſt ille, de quo ad Iulianum Auguſtinus: *Abſit, ut ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit juſtus,* Nam peccator ope Spiritus ſancti, ele-

S.Aug. lib.4.c. 3.cont. Iul.

vans languidè caput è fæce peccatorum, jam incipit juſtitiæ eſſe candidatus, & longè diſtare ab ijs, qui in profundo ſordium altè demerſi adhuc jacent. Hac contemplatione Auguſtinus paſſim juſtos vocat, quicumque, phraſi Scripturæ, *operantur juſtitiam*, id eſt opus juſtum, ſive perfectè & undique bonum.

XI. Talem porrò amorem Dei non ſuper omnia, nec verè & perfectè juſtificantem, qui poſſit in peccatoribus fidelibus etiam reperiri, admittunt cum Auguſtino

Cajet. 2. 2. q. 83. a. 14. doctiſſimi Scholaſticorum. *Poteſt enim peccator, in aliquo opere*, ait ſubtiliſſimus Thomiſtarum, *diligere Deum propter ipſum Deum; ut frequenter accidit in actibus religionis, & obſervationibus præceptorum multorum affirmativorum (ut eſt redditio votorum, honor parentum, redditio juſti) & negativorum, ut non occidere, non furari, non negare fidem, & hujuſmodi.* Sotus quoque, Suarez, Leſſius, Valentia, alijſque neoterici illum amorem ſupernaturalem admittunt, imò communem Doctorum ſententiam eſſe;

Valent. q. 4. p. 1. de pœnit. affirmat Valentia. *Non quævis attritio*, inquit, *per ſe ſufficit*, ad remittendum peccatum veniale, *ante abſolutionem, ſed ea quæ ſit aliquo certo modo perfecta, & quæ ſit ſaltem actualis dolor de peccato propter Deum, ſive ut eſt Dei offenſa: atque adeò propter Deum formaliter, vel virtualiter ſecundum ſe dilectum, LICET NON SVPER OMNIA. Qui dolor maximè ſolet appellari contritio imperfecta: qualem ſaltem debere eſſe eam pœnitentiam formalem, quæ ſufficiat per ſe ad remiſſionem venialium, cenſent communiter Theologi in 4. diſt. 22.*

XII. Ianſenius verò cum Auguſtino, & multis Scholaſticis, talem contritionem imperfectam ad remiſſionem

Ianſen. lib. 5. c. 34. 35. de grat. Chriſt. peccatorum etiam in ſacramento, neceſſariam exiſtimat, & mentem eandem Patribus Tridentinis fuiſſe oſtendit.

Nec enim dicit Sacroſancta Synodus, merum timorem

121

rem gehennæ ſufficere ſine alio addito, cum ſacramento, ſed *ſi voluntatem peccandi excludat*, *cum ſpe veniæ*. Vt autem voluntas peccandi ſincerè excludatur & funditus extirpetur, debet peccatum odio haberi, quia Dei offenſa eſt; aliàs inclinatio ad peccatum videtur ſolùm obſtaculo timoris, ad tempus repreſſa, ne iterum ſe effundat, non ablata eſſe funditus. Concil. Trid. Seſſ. 14. cap. 4.

Talis enim *non peccare metuit, ſed ardere*, inquit Auguſtinus. Vnde etiam quoties peccati voluptas ei in memoriam redit, expreſſa velleitas & complacentia erga peccatum, denuo ſtatim exilire ſolet.

Averſio ergo à Deo facta per peccatum, non perfectè tollitur, niſi per contrariam ad Deum converſionem fuerit correcta. Converſio autem iſta fit per amorem illum, ex quo peccati deteſtatio naſcitur. Deteſtatio verò ob ſolum metum pœnæ, naſcitur ex amore proprio; qui eſt converſio ad ſeipſum, non ad Deum. Ideo enim talis homo odit pœnas, & deinde peccatum, quia immunitatē à pœnis & ſeipſum amat. Cùm ergo Scriptura ſæpe clamet, ut homines ad Deum ſe convertant per pœnitentiam, talem pœnitentiam poſtulat, qua homo antea à Deo averſus, ad Deum convertatur.

Hæc autem converſio ſolo Dei amore fit, non amore proprio & immunitatis à pœnis. Vnde niſi timor pœnarū, tanquā ſervus, januā cordis dominæ charitati tali quali, id eſt ſaltem imperfectæ, aperiat, peccator tantum ad ſeipſum, nondum ad Deum convertitur, ideoque hactenus ſacramentalis abſolutionis incapax adhuc manet.

Hinc Tridentinum alio loco explicatiùs exponens ſeriem actuum, qui intervenire ſolent in pœnitentia & converſione peccatoris, primo loco ponit *divinæ juſtitiæ, id eſt pœnarum, timorem*; deinde *conſiderationem* Idem Seſſ. 6. cap. 6.

miſericordiæ Dei; tertiò *ſpem veniæ*; quartò *dilectionem* imperfectam, qua Deum, *tanquam omnis juſtitiæ fontem, diligere incipit*; quinto *odium & deteſtationem peccatis* ex hac nempe Dei dilectione ortam. Ac demum ait, hanc deteſtationem ultimam, *eſſe eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet.* Si verò *ante baptiſmum*, igitur & ante ſacramentalem abſolutionē, quia in confeſſo eſt, non majorem pœnitentiam ante baptiſmum, quàm ante abſolutionem ſacramentalem, requiri. Vnde Sacra

Idem Seſſ. 14. cap. 1. Synodus alio loco ad hujus Seſſionis VI. doctrinam reſpiciens, definit, *Quovis tempore pœnitentiam neceſſariam fuiſſe (illis etiam qui baptiſmi ſacramento ablui petiviſſent) ut perverſitate abiecta & emendata, tantam Dei offenſionem cum peccati odio, & pio animi dolore deteſtarentur. Vnde Propheta ait, Convertimini & agite pœnitentiam &c.* Vbi diſertè ait, *Quovis*, & proinde etiam novæ legis, *tempore, pœnitentiam eſſe* peccatori ad remiſſionem peccati *neceſſariam*; nec quamvis indifferenter, ſed eam, quæ *Dei offenſionem deteſtatur*, quia nempe, Dei offenſio eſt. Vnde addit, *cum pio animi dolore.* Pietas enim doloris, eſt affectus amoris ſaltem imperfecti erga Deum, ex quo amore dolor ille naſcitur. Citat deinde verba Prophetæ, *Convertimini &c.* ſignificans talem oportere eſſe offenſæ deteſtationem, qua peccator ad Deum ſe convertat; quod non fit per deteſtationem, metu ſolius gehennæ conceptam, qua homo potius ad ſeipſum, quàm ad Deum convertitur, ut paulò antè dicebamus.

Et ſanè Ninivitarum exemplum, quo Synodus utitur, non ſignificat ſolam deteſtationem timore pœnarum, ad veniam cum ſacramento ſufficere. Nam

Idem Seſſ. 14. cap. 4. illi quidem *hoc timore utiliter concuſſi, ad Ionæ prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & miſericordiam à Domino impetrarunt*; ſed non ex ſolâ illâ pœnitentiâ conceptâ timore pœnæ eam impetraverunt, ſed ſcandendo

122

dendo paulatim ad altiorem pœnitentiam, & quidem conceptam ex perfecto Dei amore ſuper omnia; quia tunc nulla erant ſacramenta, quorum beneficio poſſent cum minore pœnitentia & amore, *miſericordiam Domini impetrare.*

Quia ergo voluntas peccatoris ſolo timore pœnæ perterrita, non perfectè corrigit veteris peccati averſionem, cupiditas ejus cenſetur quoq; adhuc manere inclinata & quaſi proximè diſpoſita ad peccandum. *Qui enim timore non concupiſcit, puto, quia concupiſcit*, inquit Auguſtinus; habitu ſaltem & proxima præparatione, & etiam plerumque ipſo actu velleitatis, quando de peccati dulcedine cogitat, quia illam magis, quàm Deum amat. Vnde cupiditas illa, eſt quaſi lapis in ſublimi detentus, qui licet actu deorſum ſe non præcipitet, quia obſtaculum vetat, pronus tamen paratuſque eſt ad lapſum, labeturque mox, ubi quis ſuſtentaculum ſubduxerit. Hinc de tali Auguſtinus: *Concupiſcentiam tuam malam non amor tollit, ſed timor premit.* Cenſetur ergo permanere, ſed repreſſa ſolum, & exire geſtiens in actum externum; in actus vero internos etiam ſæpe exiens & emicans per malas velleitates. Vnde *timor ſervilis bonus eſt, quatenus timor & à Deo datur*, ait conſentienter Auguſtino Ianſenius, *quamvis ſervilitas ei adjuncta mala ſit. Ex quo conſequitur, ut etiam ille timor peccatores nequaquam pejores*, quod dixit Lutherus, *ſed meliores potius facere dicendus ſit. Hominem enim ad juſtitiam præparat &c.*

S. Aug. ſer. 15. de verb. Apoſt.

Idem ibid.

Ianſen. lib. 5. c. ult. de grat. Chriſti.

Hoc quoque ſeriò ad intelligentiam Auguſtini, cum Ianſenio notandum eſt: bonitatem, veritatem, juſtitiam, æquitatem &c, quarum amore opus bonum dicitur ab Auguſtino bene fieri, non intelligi honeſtates aliquas creatas, ſed increatas in Deo. Loquitur enim ex Philoſophia Platonica, & more Scripturæ ſacræ de XIII.

 ideis

ideis virtutum creatarum, quæ in Deo ſunt, nec aliud quàm ipſe Deus. Quod inde evidens eſt, quia honeſtates creatæ virtutum, ad nos proximè referuntur per honeſtum amorem quo nobis illas diligimus; & tamen bonitas, veritas, juſtitia, &c. de quibus loquitur Auguſtinus, nulla ratione vult ad nos referri poſſe, ſed nos & omnia noſtra ad illas. Et revera ſi quiſque ſe examinet, cum propter bonitatem, veritatem, juſtitiam &c. aliquid nos facere dicimus, ſingularem aliquam immobilis & æternæ exiſtentiæ bonitatem, veritatem, &c concipere ſolemus, quæ ſit actuum noſtrorum velut extrinſeca menſura & regula; quæ aliud eſſe non poteſt, quàm Deus ipſe.

S. Aug. lib. 8. cap. 3. Trin.

Apprehendimus enim ſimplex aliquod bonum, quo cetera omnia ſunt bona: *Quod bonum non longè poſitum eſt ab uno quoque noſtrum,* ait Auguſtinus; *in illo enim vivimus, movemur, & ſumus. Sed dilectione ſtandum eſt ad illud, inhærendum illi, ut præſente perfruamur, à quo ſumus, quo abſente nec eſſe poſſemus.* Vnde paulò ante: *Pudeat, cùm alia non amentur, niſi quia bona ſunt, ijs inhærendo, non amare bonum ipſum, unde bona ſunt.*

S. Aug. lib. 4. cap 3. contra Iul.

Secundum hanc Philoſophiam, adverſus Iulianum differens Auguſtinus, negat in infidelibus eſſe veram & conſummatam caſtitatem, quoniam animus infidelis, qui per infidelitatem fornicatur à Domino, etiamſi officium aliquod caſtitatis exerceat, non poteſt tamen ex amore caſto honeſtatis increatæ operari, cùm amor iſte ſupernaturalis ſit, & ſine fide eſſe non poſſit.

Errant ergo graviter, quos aliquando audivimus nimis audacter aſſerentes, Auguſtinum Juliano in iſta diſputatione ſuccubuiſſe. Majori religione SS. Patrum ſententiæ & verba tractanda ſunt, nec antequam fundum eorum penetraverimus, oportet ad reprehendendum tam faciles eſſe.

Hoc

123

XIV. Hoc denique S. Auguſtini ſententiam de referendo omnia ad Deum, valde lenit, quòd, fatente Ianſenio, non actualis in omnibus operibus deſideretur ad Deum relatio, ſed ſufficiat virtualis, qua prima actio totius unius catenæ, à qua ceteræ omnes conſequenter quaſi religantur, referatur in Deum. Nam licet prima actualis intentio, & Dei memoria evaneſcat; manet tamen virtualiter, & quaſi decurrit per omnes annulos catenæ, eoſque ad Deum ſatis elevat, ut abſolutè boni, Deo grati, & meritorij ſint, ſi operans ſit non ſolum in actu, ſed in habitu charitatis. *Nam virtualis intentio in actibus humanis*, inquit Ianſenius, *idem facit, quod actualis.* Et poſtquam dixit, eſſe imbecillitati humanæ impoſſibile, cor ſemper ad Deum actu erectum habere: *Sufficit igitur*, ait, *ut quod agendum ſuſcipit, Dei intentione ſuſcipiat, & illius intentionis impetu, ſeu virtute animum urgente, vel propellente pergat, etſi actu ampliùs de Deo fortaſſe non cogitet.* Oſtenditque ulterius pulcherrimâ ſimilitudine S. Thomæ, de Medico colligente ad pharmacopœam herbas, qui de ſanitate ægri, quam à principio intendit, nihil amplius cogitat.

Ianſen. lib. 2. c. 10. de ſtatu naturæ lapſæ.

S. Th. q. diſp. de char. a. 11. ad 2.

Sic igitur, inquit S. Thomas, *cum aliquis ſeipſum ordinat in Deum, ſicut in finem, in omnibus quæ propter ſeipſum facit, manet virtute intentio ultimi finis, qui Deus eſt. Vnde in omnibus mereri poteſt, ſi charitatem habeat. Hoc igitur modo Apoſtolus præcipit, quòd omnia in Dei gloriam referantur.* Sed quomodo poteſt mereri, *ſi charitatem habeat*, cùm ad meritum non ſatis ſit habitus charitatis otioſus, ſed oporteat actionem meritoriam elici ab ipſo, vel imperari, ex ſententia S. Doctoris? Docet enim alibi, *Quòd meritum vitæ æternæ primò pertineat ad charitatem; ad alias autem virtutes ſecundariò, ſecundum quod eorum actus à charitate imperantur.*

Idem 1. 2. q. 114. a. 4.

Sed ſupponit S. Doctor, ceterarum virtutum actus ſatis

ſatis à charitate imperari, per relationem ad Deum actualem, vel virtualem, ideoque ad meritum de condigno ſolùm opus eſſe, ut operans ſit in gratia & charitate habituali.

Sed & S. Auguſtinus indicat relationem virtualem ſufficere. Nam agens de catena ſibi ſuccedentium S. Aug. lib. 11. cap. 6. Trin. actionum, *rectæ ſunt*, inquit, *voluntates omnes ſibimet religatæ, ſi bona eſt quò cuncta referuntur; ſi autem prava eſt, pravæ ſunt omnes. Et ideo rectarum voluntatum connexio iter eſt quoddam aſcendentium ad beatitudinem, quod certis velut paſſibus, agitur.* Vnica ergo ab initio ad Deum intentio ſufficit, quæ ceterarum ſequentium trahat agmen,& *quò*, id eſt, ad cujus objectum, nempe Deum, *cuncta* per eam virtualiter *referantur*.

CAPVT X.

An liberum arbitrium, homini relictum poſt peccatum, conſiſtat in bilance quadam indifferenti, qua intellectus objecta ſua voluntati utrimque quaſi ſuſpendit, eo ipſo inſtanti, quo voluntas in alterutram partem liberè ſe inclinat.

I. LIcet libertas ad operandum verè bonum, ita peccato primi parentis collapſa ſit, ut niſi per gratiam relevetur, erigere ſe viribus ſuis non poſſit, manſit tamen ad opera indifferentia, & ad mala libertas; quam ineptè contra rationem, & impiè contra fidem negant Lutherus & Calvinus. *Miſera enim eſt, non amiſſa libertas*, reclamat Bernardus. Nam libertas, ſeu modus liberè agendi, eſt naturalis nobilitas humanæ voluntatis, qua differimus à brutis, quæ nullo pacto,

pacto, quamdiu natura non aboletur, amitti poteſt.

Clarum igitur eſt, hominem lapſum arbitrij libertatem non omnino confregiſſe, ſed quid & cujuſmodi ſit, Philoſophorum quorundam argutiæ obſcuriſſimum fecêre. Sic nihil compertius & evidentius eſt, quàm nos Solem videre, & tamen ubi, & qua ratione formetur viſio, res eſt in magnis tenebris & maximo Philoſophorum diſſenſu.

Ac in primis ſupponendum eſt, quod S. Auguſtinus, Ianſenius, & omnes conſentiunt: actum liberum debere eſſe in poteſtate voluntatis, & ſub peculiari ejus dominio, quomodo non ſunt appetitus brutorum, aut motus noſtræ voluntatis repentini, quos primò primos ſolemus appellare.

Vnde S Thomas, *Quod dominium ſui actus habet*, inquit, *liberum eſt in agendo. Liber enim eſt, qui ſui cauſa eſt. Quod autem quadam neceſſitate ab alio agitur ad operandum, ſervituti ſubjectum eſt. Omnis autem alia creatura naturaliter ſervitio ſubjecta eſt: ſola verò natura intellectualis libera.* S. Tho. lib. 3. cap. 112. contra Gent.

Quod nec Philoſophi Gentiles ignoraverunt. *Motus enim voluntarius* (id eſt liber) *eam naturam in ſe ipſe continet*, ait Cicero, *ut ſit in noſtra poteſtate, nobiſque pareat.* Cic. lib. de fato. Ariſtoteles quoque dicit, *Agere & non agere, eſſe in noſtra poteſtate ſitum*; & ea quæ per negligentiam committimus, nobis imputari, quia ſumus ἐπιμεληθῆναι κύριοι, *diligentiæ adhibendæ domini.* Ariſt. lib. 3. cap. 7. Ethic.

Quidam verò libertatem iſtam & dominium explicant per penſilem quandam indifferentiam, qua ante ſingulos actus liberos, voluntas ſuſpenditur ab intellectu, velut in æquilibrio, dum ei ab hac & illa parte bonitatem, aut malitiam objectorum oſtendit, ad quæ ſe liberè inclinare debet II.

Sed facilè ab alijs id reijcitur. Nam licet fortaſsè impoſſibile non ſit, ut voluntas ſic gemino judicio, inter

ter duo objecta ab intellectu ſuſpendatur, tamen ſæpiſſimè actus & inclinationes voluntatis liberæ ſunt, etiamſi in momento inclinationis, unicum ſit judiciū practicum, quo intellectus intimat voluntati, hoc eſſe proſequendum, aut fugiendum; nullâ mentione, aut memoriâ ampliùs durante ullius alterius judicij, quo oſtendatur bonitas, vel malitia alîus objecti, circa quod voluntas tunc nihil agit. Experimur enim nos, etiamſi deliberatio antea in utramque partem præceſſerit, formare in fine unicum judicium practicum de una parte ſola eligenda, neque tunc de altera parte quidquam ampliùs cogitare. Vnde eo inſtanti voluntas non eſt ampliùs in æquilibrio, nec proximè potens ad electionem alterius partis, cùm in incognitu ferri non poſſit. Vt enim voluntas aliquid amet, non eſt ſatis, antea etiā immediatè fuiſſe cognitum, ſed cognoſci, & oſtendi ei debet ab intellectu, eo ipſo inſtanti, quo amare debet.

Vnde refelli etiam poteſt, quod quidam aiunt: ad actuale illud æquilibrium, ſufficere unicum judicium practicum, quia voluntas poteſt imperare intellectui, ut judicium illud mutet.

Sed licet re verâ id facere poſſit, hoc tamen ad actuale æquilibrium non eſt ſatis. Nam voluntas eſt tantùm in potentiâ remotâ ad eliciendum iſtud imperium. Cum enim non feratur in incognitum, debet intellectus ei præformare novum judicium practicum, quo judicetur, eſſe expediens, ut judicium præcedens mutetur in aliud. Non enim poteſt voluntas novam actionem intellectûs, aut alterius potentiæ imperare, niſi intellectus alio judicio ſuo ſemper ei præcurrat. Vnde judicium quo intellectus judicat expediens, avertere cogitationem à priori objecto, & convertere ad aliud, eſt iam ultimum & unicum. Et ſic nunquam ſimul reperientur duo judicia actualia practica, quibus vo-

bus voluntas utrimque in æquilibrio ſuſpenditur, ita ut actu ſit in utramque partem proximè expedita. Nam vel nulla ſupereſt cogitatio prioris obiecti, vel non talis, quæ ſit judicium ſine quo voluntas movere ſe non poteſt; quia *intellectus ſpeculativus non movet, ſed intellectus practicus*, ut ex Ariſtotele docet S. Thomas. S. Tho. 1.2.q.9. a. 1. ad 2.

Deinde, licet duraret adhuc in intellectu judicium de bonitate obiecti quod voluntas deſerit, cum oppoſitum amplectitur; nihilominùs indifferens, & in æquilibrio poſita adhuc dici non poteſt, in ſentẽtia Ariſtotelis, S. Thomæ, Medinæ, Bellarmini, Vaſquij &c. qui docent nullum medium poſſe liberè præ alio eligi à voluntate, niſi intellectus in eo oſtendat aliquid, in quo alteri præferri debeat. Nam hac ratione, voluntas in inſtanti, quo unum medium præ alio eligit, non eſt ſuſpenſa inter duo media, ſed determinata ad unum, quod intellectus omnibus conſideratis amplectendum judicat; ita ut ad alterum amplectendum, proximè potens non ſit: aliquid enim ex neceſſariò prærequiſitis ei deeſt, nempe judicium ultimum practicum, quo intellectus hoc medium præ altero amplectendum decernit. Nam judicium de uno medio potiùs eligendo, *non patitur ſecum aliud iudicium ſimile*, inquit Bellarminus, *quia eſſent contradicentia & repugnantia iudicia: nimirum, omnibus conſideratis hoc eſt melius, & omnibus conſideratis hoc non eſt melius*. Quod evidentiùs in libertate Dei cernitur, qui ſolùm id quod infinitã ejus ſapientiã maximè decet, facere poteſt, ut ex SS. Patribus cap. IV. diſſerebamus. Vnde unico judicio de re quæ maximè eum decet, voluntatem ſuam dirigit, nec eam inter duo judicia practica ſuſpenſam & ad oppoſita proximè expeditam iam tenet, aut ab çterno tenuit. *Deus enim cùm aliquid agit*, inquit idem Bellarminus, *non ideo illud agit, quia neſciat ſe poſſe facere melius, ſed quia judicat, tunc illud maximè expedire.*

S. Tho. 1. 2. q. 13. a. 6. ad 3.

Bellar. l.b. 3. c. 8. de. grat. & liber. arb.

Ibid. c. 9

pedire. Si verò duo aliqua æquè expedire fingantur; attamen, ubi ſaltem unum extremum oppoſitorum expedientius erit, circa ejus electionem liber non erit. Quod eſt incredibile. Sic enim plurimę actiones divinę, quibus hoc Vniuerſum Deus creat & adminiſtrat, liberæ non eſſent; quia non poteſt voluntas ejus ſe dirigere, niſi unico judicio, quo intellectus divinus hoc maximè expedire determinat.

III. Fortaſſe reſpondebitur, hôc quidem rectè probari, non eſſe in tali electione libertatem contrarietatis ad eligendum hoc, aut contrarium; eſſe tamen libertatem contradictionis, ad eligendum, & non eligendum unum & idem.

Sed licet primo aſpectu reſponſio appareat probabilis, penitius inſpecta, etiam refellitur prioribus argumentis.

Nam ſi ad libertatem requiratur, ut inter duo voluntas indifferens & penſilis per intellectum conſtituatur, non minùs hoc requiret libertas contradictionis, quam contrarietatis. Vnde, ut voluntas ad amandū, & nō amādum, hoc inſtanti proximè expedita ſit, debebit intellectus eam inter amorem & non amorē, gemino iudicio ultimo practico ſuſpendere, ut tam liberè ceſſare ab amore poſſit, quàm liberè eum exercere, & ut utrumq; ei moraliter valeat imputari. Apertè enim S. Thomas:

S. Tho. 1.2.q.13 a.6. *Quidquid ratio poteſt apprehendere, ut bonum,* inquit, *in hoc voluntas tendere poteſt. poteſt autem ratio apprehendere ut bonū, non ſolum hoc, quod eſt velle aut agere, ſed hoc etiam, quod eſt non velle & non agere.* Et ipſe, ac ceteri Theologi docent, beatos non poſſe ab amore beatifico ceſſare, quia intellectus beati nullam rationem commodi, aut boni in tali ceſſatione voluntati repræſentare poteſt; ſupponentes, ad liberam ceſſationem actionis, requiri judicium prævium intellectûs de bonitate ceſſationis, aut

aut (quod moraliter idem cenſetur) de aliqua malitia, aut incommoditate eliciendæ, aut continuandæ actionis.

Vnde alibi S. Thomas: *In poteſtate liberi arbitrij eſt*, inquit, *non uti habitu; tamen poteſt hoc ipſum, quod eſt, non uti habitu, ſibi proponi ſub ſpecie boni: quod de gratia in beatis accidere non poteſt, ut dictum eſt.* Atque ita probat, habitum gratiæ, per liberam ceſſationem ab actu, poſſe interdum perdi in hac via, nunquam autem in patria; quia beatis patriæ incolis ceſſatio *ſub ſpecie boni proponi non poteſt*, ſicut nobis viatoribus poteſt. Idem q. 24. a. 8 de ver.

IV. Falluntur ergo, qui ad libertatem contradictionis, in illa ſententia, ſatis eſſe exiſtimant, ut intellectus proponat voluntati objectum, non tanquam neceſſariò amandum. Nam licet hoc ſatis ſit, ut amor ſit corruptibilis & deſinere poſſit, non tamen, ut liberè & moraliter deſinat. Poteſt autem amor naturaliter, ſeu non liberè deſinere, ut patet in brutis, quorum nec amores, nec amorum ceſſationes liberæ ſunt. Velut ergo in illis, defectibilitas poſitivi amoris, non eſt indicium amoris antea liberè eliciti, etiam libertate contradictionis, nec liberæ ceſſationis; ita nec in hominibus. Nam quemadmodum per ſomnum, aut alias cauſas naturales, cogitationes noſtræ intercipiuntur, ita etiam amor & alij voluntatis liberi affectus, ſine ulla libertate naturaliter extinguuntur; quia extincto omni judicio intellectûs, affectus voluntatis ſuperſtes manere nequit.

Deinde rariſſimè, aut nunquam (ut multi nobiles Theologi exiſtimant) voluntas liberè ab actu ſuo elicito, directè eum ſuſpendendo, ceſſat, ſed vertendo ſe ad aliud objectum, cujus amor amorem prioris objecti ceſſare faciat. Vnde ſicut ad liberè amandum hoc ſecundum objectum, eſt opus novo judicio practico

intellectûs;ita etiam ad liberam ceſſationem amoris objecti prioris,quam ſecundi objecti amor inducit. Vnde conſequens eſt, ut ſive omiſſio actûs eliciti voluntatis pura, ſive non pura ſit, modò libera ſit, oporteat ſemper eam dirigi aliquo judicio intellectûs, diſtincto à iudicio quo dirigitur actus poſitivè elicitus. Et hinc ulteriùs ſequitur, quòd ad libertatem contradictionis non minùs requiri debeat duplex iudicium practicum intellectûs voluntatem in æquilibrio ſuſpendentis, quàm ad libertatem contrarietatis.

V. Vnde, quando voluntas noſtra (ut plerumque eſſe ſolet) erit libera utrâque libertate ſimul, tam contrarietatis, quàm contradictionis, quatuor ſemper judicia ſimul debebunt comitari voluntatem, incluſivè uſque ad illud momentum, quo ſe in unam partem liberè reſolvit. Nam intellectus de hac actione, & de oppoſita, tertiò de ceſſatione illius, quartò de ceſſatione oppoſitæ, judicium aliquod ferre debebit.

De qua Philoſophia, nunquam meminit S. Auguſtinus, non S. Thomas, nec ipſe Ariſtoteles; aut oſtendant, & valde mirabimur. Nec etiam nos ipſi tantam circumſpectionem, & turbam actuum intellectûs in nobis ad ſingulas actiones liberas experimur, etiamſi attentiſſimè intima mentis noſtræ rimemur.

Videntur quoque Philoſophi illi ſupponere, quòd, ut actus appetitûs ſit neceſſarius & non liber, potentia cognitiva debeat apprehendere neceſſitatem aliquam exercitij talis actûs; adeò ut ſi non apprehendat, eo ipſo actus appetitûs ſit contingens, & proinde etiam ceſſatio ejus.

Verùm quàm hoc falsò, deprehenditur ex brutis, quorum affectus ſunt neceſſarij, & tamen imaginativa ipſorum nullam neceſſitatem in exercitio amoris appetitus concipit, ſed ad ſimplicem objecti amabilis propoſitionem

127

poſitionem, amor ille impetu quodam naturæ neceſſariò exilit, ſine reflexione imaginationis ſuper neceſſitatem exercitij amoris.

Neſcit quippe brutum, quid neceſſe, aut neceſſitas ſit.

Simile quid etiam noſipſi ſatis experimur in motibus noſtris neceſſarijs, primò primis. Quis enim ſubito ſonitu exterritus, ſe de neceſſitate illius terroris aliquid cogitaſſe meminit?

Deinde hoc pacto oporteret, ut plerumque omne judicium intellectûs, quod motibus iſtis indeliberatis prævolat, falſum eſſet. Nam verum communiter non eſt, quòd objectum talis judicij neceſſariò amandum, aut fugiendum ſit. Vnde etiam coruſcatio illa, quâ Deus, ante gratiam voluntatis excitantem, intellectum ſubitò illuminat, judicium falſum contineret. Nam voluntas ſic excitata, per primum quendam motũ indeliberatum, in objectum ſibi ſic repentè propoſitum neceſſariò erumpit: Deus tamen falſum judicium intellectui immittere nequit.

Deniq; ſi ſuſpenſio illa voluntatis per duplex iudiciũ practicũ ad libertatem neceſſaria ſit, electio unici medij libera non erit, quando finis eſt efficaciter intentus; nec plus merebitur per talem electionem, aut demerebitur, quàm per ſolam efficacem intentionem finis. Quod quidam admittunt, ſed perperàm & *falsò*, ait Medina: *quoniam fraudant multa opera ſtudioſa ſuâ laude & merito. Tum verò dicere, quòd in obſervatione mandatorum Dei, quæ ſunt media neceſſaria ad vitam æternam, non ſit meritum, periculoſum dogma videtur.* Et tamen videtur hoc apertè ſequi, ſi ad libertatem, & conſequenter ad meritum, neceſſe ſit, ut voluntas ab intellectu inter duo media eligenda, vel inter medium unicum, & ejus ceſſationem ſuſpendatur. Nam intellectus tunc judicat VI. Medin. 1.2.q.13 a.6.

unicum

unicum eſſe medium, nec ab eo ceſſandum eſſe poſitâ efficaci finis intentione, quando tempus executionis advênit Vt ergo talis unici medij electio ſit proximè libera & meritoria, non tantùm in intentione finis, libertas debet aliquid aliud eſſe, quàm illa penſilis & bicornis indifferentia actualis.

Nam indifferentia non exercetur proximè circa medij electionem; ſed circa intentionem finis, quæ eſt radix electionis: unde hæc in radice tantum libera & meritoria erit. Scio quid hic ſubtiliter quidam reſpondeant, ſed nec alijs, nec ſibi fortaſſis ſatisfaciunt.

Hoc quoque incommodum,& ingens,ſententiam illã comitatur: quòd plurimæ actiones humanæ, quæ ab omnibus liberæ & meritoriæ, aut demeritoriæ habentur, tales re verâ non erunt. Vt,exempli causâ, recitatio precum Canonicarum, adminiſtrationes ſacramentorum &c.quę debent eſſe actiones humanæ & liberæ, ſæpiſſimè libertate illâ penſibilis indifferentiæ carent; quia in talibus ſolemus ita attenti eſſe ad noſtrã actionẽ, ut de actione contraria, vel de ceſſatione, nihil omnino cogitemus: unde voluntas inter extrema contrarietatis, aut contradictionis, per intellectum actu ſuſpenſa non eſt.

Hinc actiones omnes illæ inanes & invalidæ erunt. Nam ad earum valorem non ſufficit libertas remota, & in ſua cauſa; aliàs validè ſacramentum adminiſtraret ebrius, & omnes actiones ejus libertate ſufficienti tinctæ eſſent, quia liberè ſe conjecit in ebrietatem.

Libera igitur etiam non erit pia anima, quando in meditatione ſua exardeſcit igne divini amoris, & tantùm de dilecto & ejus amplexibus cogitat; quia de ceſſando nihil ei in mentem venit, nec geminâ cogitatione pendula eſt inter amorem & ceſſationem amoris. Vnde non magis apud dilectum merebitur, plenâ tamen

128

men & vigilante ratione, quàm ſi dormiret. Non demerebuntur etiam fornicatores, quia non liberè inhiant fruunturque impudicis voluptatibus, etiam cum plena advertentia rationis. Nam licet ratio abſorpta non ſit, unicâ tamen cogitatione ita ſpurcitijs ſuis inhærent, ut nec minima cogitatio de ceſſando intercurrat Dicere autem, hæc tantùm eſſe peccata in cauſa, neſcio quis audeat.

VIII.

Incommodiſſima deinde eſt hæc explicatio libertatis, ad conciliandam divinæ gratiæ cum libero arbitrio efficaciam. Nam ideo in omni actu libero requirunt æquilibrium iſtud, in quo voluntas duplici cogitatione ſuſpenditur, ut ipſa ſe ſuâ, non alienâ determinatione, in actum demittere poſſit. Hoc enim ad omnem actum voluntatis liberum neceſſarium exiſtimant. Vnde conſequenter fateri debent, gratiam Chriſti medicinalem, pediſſequam jam eſſe liberi arbitrij, non minus, quàm olim in Angelis viatoribus, & primis parentibus ante lapſum; contra doctrinam, quam tanquam ab Apoſtolo acceptam Auguſtinus ubique inculcat. *Fateatur Pelagius*, clamat alicubi, *quando contra tentationes concupiſcentiaſque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, ſed adjutorio Dei, noſtram provenire victoriam.* Proveniret tamen potius ex propria & liberâ noſtrâ voluntate victoria, ſi voluntas adjutorio Dei dominaretur, & ipſum in pugnam illam adverſus concupiſcentias prior impelleret.

S. Aug. c. 11. 12. de corr. &c. Ep. 106.

Vnde nec S. Auguſtinus, nec S. Thomas, nec Scotus tali libertate penſili uſi ſunt in concordia gratiæ & liberi arbitrij. Nec etiam majores noſtri ab annis jam LV. ſub Sixti V. Pontificatu, nec R. P. Thomas de Lemos, & PP. Dominicani, in celebri diſputatione ſub Clemente VIII. & Paulo V. Quorum veſtigijs inſiſtere maluit Janſenius, quàm novas quorundam ſemitas ingredi.

IX. Hoc quoque non leve iſtius ſententię incõmodum eſt, quòd habitus virtutum, ſicut diminuunt illam penſilem & æquilibrem indifferentiam, detrahendo & inclinando bilancem in unam partem; ita etiam diminuent merita Sanctorum, quæ maximè à libertate dependent. Nam ſicut omni libertate extinctâ, nullum omnino eſt meritum; ita libertate æquilibri, per maxima virtutum, ut ſic dicam, pondera & inclinationes valde imminutâ, vix ullum tenuiſſimi etiam meriti relinquetur fundamentum. Nam licet ex nobilitate actionis creſcat etiam meritum, id fit tamen ſuppoſito ſemper libertatis fundamento: ita ut, ſi conſequenter ad ſuam Philoſophiam loqui velint, magis ex diminutione libertatis meritum decreſcat, quàm ex incremento nobilitatis intrinſecæ, actionis creſcat. Vnde, cùm fateantur in magnis quibuſdam Sanctis, tantam gratiæ nonnunquam eſſe affluentiam, ut quodammodo obruatur libertas illa penſilis, nec moraliter poſſint Spiritui, quo aguntur, reſiſtere; debent hoc quoque confiteri, omne meritum moraliter in ipſis ſupprimi & ſuffocari.

Debet igitur humanarum actionum libertas aliquid aliud eſſe, quod multo latiùs, quàm indifferentia illa æquilibris, pateat, & per omnes actiones meritorias, ac univerſim per omnes quæ humanæ & liberæ appellari ſolent, ſe diffundat.

CAPVT XI.

Liberum noſtrum arbitrium tamen aliquam indifferentiam accidentalem habet. Et in omni actu libero prtærerea eſt quædam quaſi indifferentia eſſentialis.

SEd nullave igitur eſt in libero noſtro arbitrio indifferentia? inquient. Ne Carneades quidem id du-

dubitet. Eſt enim experientia notum, nos in bi- I.
vio aliquo poſitos & deliberantes, inter duas vias in-
differenter vacillare, & utramlibet poſſe ingredi. Simi-
liter, *quamdiu hic vivimus*, inquit Ianſenius, *ſive in infide-
litate ante gratiam, ſive jam ſub gratia, indifferentia ad con-
traria, hoc eſt, ad volendum faciendumq́; bonum, & malum,* Ianſ.lib
ſemper ineſt libero arbitrio. Quomodo enim aliàs verum 8.c.20.
eſſet illud S. Auguſtini: *Voluntatis arbitrium huc atque* de grat. Chriſti.
illuc liberum flectitur? Quomodo iſtud S. Thomæ: *Po-
teſt homo velle & non velle, agere & non agere.; poteſt etjam* S. Aug.
velle hoc aut illud? Vnde verò naſcitur indifferentiæ & lib.2.c.
flexibilitatis iſtius radix? *Ex ipſa*, inquit, *virtute ratio-* 18 de pecc.
nis. Quidquid enim ratio poteſt apprehendere ut bonum, in merit.
hoc voluntas tendere poteſt. Ac deinde oſtendit, quomodo S. Tho.
utrumque extremum contrarietatis, & contradictionis, 1.2.q.13 a.6.
ratio ſeu intellectus, ut bonum apprehendere poſſit, at-
que ita ducem ſe præbere voluntati, ut in hanc, aut il-
lam partem ſe flectat.

Vnde hæc indifferentia voluntatis nihil eſt aliud, quàm capacitas ad volendum, duce ratione, hoc & contrarium ejus, aut ad volendum & non volendum unum idemque. Prior vocatur indifferentia contrarietatis, poſterior contradictionis.

Quia autem intellectus voluntati dux eſſe debet, idcirco capacitas illa eſt ſolùm quaſi remota, & ad actum reduci debet per judicium aliquod ultimum intellectûs, oſtendentis bonitatem objecti amabilis.

Hoc autem judicium ultimum ſemper unicum eſt, ſi Ariſtotelis, S.Thomæ, Bellarmini Philoſophiam recipimus, ut Cap. præcedenti dicebamus. Eſt enim concluſio ſyllogiſmi practici unius, quo decernitur, quid omnibus conſideratis faciendum ſit.

Vnde ut illa indifferens capacitas ad actum reduca-

 tur,

tur, non eſt neceſſe, ut voluntas duplici judicio practico ad crepidinem uſque volendi, ut ſic dicam, adducatur, ut ex actuali illa bilance, in qua inter duo judicia vacillat, proximè ſe demittat in actum volendi hoc, aut iſtud, quod capite ſuperiori reiecimus; ſed ſufficit unicum judicium: quia, aut duo ſunt incompoſſibilia, ut aiebat ibi Bellarminus, aut ſi ſe compatiuntur, ut alijs placet; tamen contra apertam, ut puto, experientiam eſt, intellectum noſtrum, quoties aliquid liberè volumus, duo ſemper iudicia ſimul formare de utroque extremo contrarietatis, aut contradictionis, inter quæ indifferentes eſſe dicimur. Nam centenæ quotidie liberorum actuum myriades, ante vigiles rationis & advertentiæ noſtræ oculos volant & revolant, non comitatæ geminâ illâ attentione intellectûs; multò minùs quaternâ, quæ neceſſaria eſſet ad utramque ſimul, contrarietatis, & contradictionis libertatem, ut Cap. proximo diſſerebamus.

II. Cæterum indifferentia illa remota voluntatis ad oppoſita, quæ præcedente iudicio intellectûs, hoc aut illud appetere poteſt, non eſt tam eſſentia libertatis, quàm quædam proprietas. Vnde maior & laxior, ut ſic dicam, indifferentia libertatem creatam & imperfectam, quàm divinam & perfectiſſimam ſequitur. Quia enim intellectus creatus, qui dux eſt creatæ libertatis, falli poteſt, & iudicare aliquid amplectendum, quod ſecundum rectam rationem non oportet amplecti, hinc creatæ voluntati habenæ quaſi relaxantur, ut ad utrumque contrarietatis, aut contradictionis extremum ſe flectere poſſit, etiamſi alterum eorum non niſi malè & imprudenter diligi poſſit. Dei verò libertas, etſi infinitò perfectior, hanc tantam laxitatem non habet: quia Deus nihil malè aut imprudenter velle, aut agere,

agere, nec etiam imprudenter ab actione ceſſare, poteſt.

Hinc S. Anſelmus negat, *poteſtatem peccandi eſſe partem libertatis*. Si enim, inquit, *potentia peccandi & non peccandi, eſſet definitio libertatis arbitrij, nec Deus, nec Angelus, qui peccare nequeunt, liberum haberent arbitrium, quod nefas eſt dicere.* Imò nefas quoque eſt dicere, quòd homo ſit liberior, quàm Deus, etſi in volendo & agendo laxior ſit. Nam ubi S. Anſelmi, in Dialogo illo, diſcipulus errans & ex vulgari quadam imaginatione dixiſſet, *Cur non ſit liberior illa voluntas, quæ ad utrumque* (ad bonum & malum) *ſe habet, non video*: corrigens eum S. Anſelmus: *An non vides*, ait, *quoniam qui ſic habet quod decet & quod expedit, ut hoc amittere nequeat, liberior eſt, quàm ille, qui ſic habet hoc ipſum, ut poſſit perdere, & ad hoc quod dedecet, & non expedit, valeat adduci?* Unde mox reſolvens totam quæſtionem: *Poteſtas ergo peccandi*, inquit, *quæ addita voluntati minuit ejus libertatem, &, ſi dividatur, auget, nec libertas eſt, nec pars libertatis.* S. Anſ. cap. 1. Dialog. de lib. arbit.

Quomodo tamen? Nonne poteſtas peccandi, libertati addita, auget & dilatat quaſi ſpatia, intra quæ ſe vertere & gyrare voluntas poteſt?

III. Ita ſanè videtur, ſi libertatem, ut hodie multi, imaginemur tanquam indifferentem quandam laxitatem ad multa; eo ferè modo, quo campus dicitur liber, aut liber equus, qui excuſſo freno, huc illuc liber ſolutuſque diſcurrit. Sed nec Anſelmus, nec Auguſtinus, aut diſcipuli ejus, exiſtimaverunt arbitrium in hac materiâ gratiæ Dei & Chriſtianâ Philoſophiâ, denominandum eſſe liberum à ſimili libertate; ſed ab ea potiùs, qua civis aliquis liber dicitur, qui ſub nullius tyrannide aut ſervitute poſitus, ſponte ſua, nemine cogente, ſub legibus ſuæ civitatis vivit. Similis quippe iſti eſt libertas Chriſtiana, cujus frequentiſſima mentio in Scripturis:

 Si vos

Ioan.8. *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis. Quis me liberabit*
Rom.7. *de corpore mortis hujus? &c.* Vnde Auguſtinus, Anſelmus, & quotquot Auguſtinum ſecuti, phraſim ſacræ Scripturæ in re iſta fidei, meritò ſunt imitati; eumque loquendi modum, & Auguſtinum optimè intellexerunt Pelagiani. In illa autem Chriſtiana libertate, duo ſunt extrema, tanquam termini *à quo* & *ad quem*: tyrannis peccati, ſive concupiſcentiæ, à qua per libertatem receditur; & operatio juſtitiæ, qua ſecundum Dei leges vivitur, quæ eſt inſtar termini ad quem acceditur.

Pelagiani volebant hominem lapſum poſſe liberi arbitrij viribus, ſe à tyrannide & ſervitute illa concupiſcentiæ eripere, & ad ſtatum juſtitiæ transferre; id eſt, concupiſcentiam tentantem viribus ſuis poſſe vincere, & bene ac ſecundum Dei leges operari. Negabant enim hominem liberi arbitrij fore, niſi, quemadmodum viribus liberi arbitrij poteſt malè, ita etiam poſſet bene operari, & ſicut ſervit quandoque peccato, ita quoque poſſet juſtitiæ ſervire. Hinc Princeps eorum Pelagius:
Apud Aug. lib. 1. c. 4. de grat. Chriſti. *Quod bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, noſtrum eſt; quia hæc omnia vertere etiam in malum poſſumus.* Vbi ex eo quod malè agere in noſtra ſit poteſtate, benè quoque agere in eadem ſitum eſſe colligit. Prorſus
Ariſt. lib. 3. c. 7. Eth. ex ſententia ei præformata ab Ariſtotele: *In quibus in noſtra poteſtate ſitum eſt agere, ſitum etiam eſt, non agere.* Et poſt pauca definit: *Quòd hon-ſta & turpia agere, & non agere, & proinde ut boni, & mali ſimus, ſitum ſit in noſtra poteſtate.*

Hoc quoque alii Philoſophi Gentiles magno con-
Senec. cap. 5. ad Helviam. ſenſu. Animosè Seneca: *Id egit rerum natura, ut ad bene vivendum non magno apparatu opus eſſet: unuſquiſque facere ſe beatum poteſt.* Et bonus Horatius, Epicuri de grege porcus, tam excelſo adverſus Iovem animo, ut audeat in os ei cantare:

Det

Det vitam, det opes, æquum mi animum ipſe parabo. Horat. lib. 1. Epiſt. 18
Vnde Pelagiani hos Doctores ſecuti, libertatem, ſeu indifferentiam contrarietatis inter bonum & malum, ſemper validiſſimè urſerunt adverſus Auguſtinum, tanquam neceſſariam, ut homo liberi arbitrij in rebus moralibus, dici & eſſe poſſit. Si enim, inquiebant, inter extrema illa Chriſtianæ libertatis, id eſt, inter malè & bene agere, æqualiter & indifferenter flectere nos & reflectere viribus noſtris non poſſumus, ſed tantùm malè per nos, bene alienâ ſolùm ope agere valemus, peccatum in noſtra poteſtate, virtus extra poteſtatem noſtram erit, nec voluntate noſtrâ, ſed alienâ tantùm boni erimus, ac proinde nec liberi, naturali arbitrij libertate erimus.

Contrà Auguſtinus, naturalem libertatem cum infirmitate & impotentiâ ad faciendum bonum, docet poſſe conſiſtere; & proinde Chriſtianam libertatem, ſeu tranſitum ab operibus iniquitatis ad opera juſtitiæ per adjutorium gratiæ, naturalem libertatem permixtam habere. Nam in iſta Chriſtiana libertate, adverſus concupiſcentiæ tyrannidem, naturali arbitrij libertate & gratiâ pugnatur, & perficiuntur opera juſtitiæ.

Nec enim ſola gratia operatur in nobis bonum, ſed etiam liberum voluntatis arbitrium cooperatur. Vnde non *inviti & reluctantes*, *tanquam ligna & lapides*, trahimur ad bonum, ut Auguſtino objiciebant Pelagiani, ſed à gratia adjuvamur. *Non adjuvatur autem*, ait Auguſtinus, *niſi qui & ipſe aliquid agit.* Aliàs, ſi non eſſet liberum hominis arbitrium libertate contrarietatis inter bonum & malum, *quomodo diceret Dominus*, *Aut facite arborem bonam & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam & fructum ejus malum*, *niſi homo poſſet*, *nunc in hoc*, *nunc in illud mutatâ voluntate converti?* rogat Auguſtinus. Si tamen ab eo petas, quomodo *arborem*, id eſt, S. Aug. in Op. imperf. Lib. 1. c. 22. cont. adverſ. leg.

volun-

voluntatem *bonam* homo facere poſſit, reſpondebit illud ſolenne ſuum, *Si voluntas præparatur à Domino*, & gratia faciat, ut homo velit & faciat.

IV. Itaque gratia ſupponit liberum arbitrium, & naturali modo agendi ejus tanquam inſtrumento utitur, cum elevat voluntatem in boni amorem; velut etiam eodem agendi naturali modo concupiſcentia quodammodo utitur, cùm deprimit voluntatem ad malum. Humano enim actu & libero voluntas utrimque, tam elevantem, quàm deprimentem ſequitur. Vnde non eſt propriè perdita, ſed *otioſa naturalis arbitrij libertas ad bonum, ſine juſtitiâ* (id eſt gratia) inquit Anſelmus: *ancilla facta ſuæ affectionis quæ ad commodum eſt, quia remotâ juſtitiâ, nihil poteſt velle, niſi quod illa* (affectio propria) *vult*. Ad hominem enim ipſum tanquam ad centrum ſui amoris convertitur, ibique quieſcit, niſi gratia ſurſum in Deum relevet, ſine cujus reſpectu & ad eum relatione, nihil verè boni fieri poteſt, ut Præceptori Auguſtino conſentit Anſelmus. Modum autem agendi liberi arbitrij peculiarem, in quo conſiſtit eſſentia naturalis libertatis, non eſt facilè explicare. Nam non eſt idem, quod ſpontaneum in genere, cùm non ſolùm Deus, & creaturæ rationales, ſed etiam bruta agant ſpontè. Deinde motus noſtri primò primi, ſpontanei ſunt, nec tamen liberi.

S.Anſ. c.23. de Concor grat. & lib. arb.

Liberum itaque eſt ſpecies ſpontanei, eaque perfectiſſima. Differentiam verò, qua à ſpontaneo brutorum diſtinguitur, indicat S. Thomas alicubi, cùm ait: *Facultas quæ eſt per remotionem coactionis, addit determinatam naturam potentiæ: quod tamen pertinet ad ipſam naturam potentiæ, ſicut differentia quæ ſuperadditur generi, pertinet ad naturam ſpeciei.*

S. Tho q.24.a.4 de verit

Vnde hanc potentiæ formaliter liberæ definitionem nobis ſuggerit: *Potentia quæ in actu ſuo connaturali cogi non poteſt,*

poteſt. Talis autem eſt ſola voluntas,quia ſola eſt appetitus rationalis, qui præviâ ratione, & in objectis voluntatis varias bonitates aut malitias oſtendente, movet ſeipſum perfectâ quâdam ſponte in ſuum objectum, actumque ſuum ex ſe exprimit, non autem ab altero injecta quadam naturali neceſſitate cogitur. Sicut enim ratio quæ dux eſt voluntatis, longè altiorem, ampliorem & nobiliorem modum agendi habet, quàm phantaſia; ita voluntas, quæ tali præcurſore utitur, meritò excellentiorem modum agendi participat, quàm appetitus ſenſitivus; ut nempe actus ſuos, tanquam domina, ipſa ſibi det, & ad imperium ſuum exire faciat. Quæ res intellectu difficilis, quia in tenui quodam, ſubtili, & ſimplici modo agendi conſiſtit, qui partes non habet in quas reſolvi & per quas explicari valeat. Et hanc credo cauſam eſſe, cur Auguſtinus dixerit, *paucos intellectu penetrare* gratiæ & liberi arbitrij concordiam. *Quomodo enim attrahit Deus pater ad filium*, inquit, *ſi dimittit, ut quis quod voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum eſt, ſed intellectu hoc penetrare pauci valent*. Quod, quàm verè ab eo dictum, clariſſimorum ingeniorum in re iſtâ caligo fidem facit. Ex comparatione tamen modi agendi brutorum, utcumque percipi res valet. S.Aug. lib.2 c. 85.cont. Petil.

Nam *quæ ſunt carentia ratione animalia*, inquit Bernardus, *nihil merentur, quia ſicut deliberatione, ita & libertate carent. Senſu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Hanc vim à natura ſolus homo non patitur, & ideo ſolus inter animantia liber. Et tamen interveniente peccato, patitur quandam vim & ipſe; ſed à voluntate, non à natura, ut ne ſic quidem ingenitâ libertate privetur. Quod enim voluntarium, & liberum*. Voluntarium nempe perfectum, quale in brutis non eſt, liberum eſt. Bruta igitur, juxta Bernardi, Auguſtini, Anſelmi, aliorumque Sanctorum Philoſophiam, in appetendo, vim quandam & coactionem à S.Ber. ſer 8. in Can.

natura patiuntur, quàm voluntas hominis, in actu ſuo connaturali & deliberato, non poteſt naturaliter pati. Dico, in actu *connaturali & deliberato*, quia in actibus indeliberatis, qui non ſponte noſtrâ exiliunt, ſimilem ferè vim & coactionem à natura patimur; unde nec tales inter actus humanos numerantur, nec eos ſentire, peccatum eſt, niſi deliberatâ voluntate conſentiamus.

Sed nónne Philoſophi dicunt, coactionem ſeu violentiam tantùm inferri poſſe ab agente extrinſeco, nullam vim conferente paſſo? Quomodo ergo brutorum appetitus, & voluntas noſtra in actibus indeliberatis & repentinis cogi poſſe dicitur?

V. Fatendum eſt, SS. Patres non in eo rigore ſumunt coactionem, quo Ariſtoteles & Philoſophi, ſed cogi etiam potentiam dicunt, quæ licet actioni ſuæ cooperetur, aliqua tamen neceſſitate naturali in actionem præcipitatur. Si enim ICC. *coactam* voluntatem appellant, quæ metu extorquetur, etſi plurimum adhuc libertatis retineat: *Si* enim *metu coactus*, ait Paulus IC. *adij hereditatem, puto me heredem effici, quia quamvis ſi liberum eſſet, noluiſſem, tamen coactus volui*; multò magis dici poteſt cogi appetitus, qui ne quidem tantillum libertatis retinet, ſed ad primam & perfunctoriam objecti propoſitionem, naturali impetu exilit, ſicut ignis ſurſum, aut terra deorſum, ut docet S. Thomas.

L. 21. D. Quod metus cauſa.

S. Tho. 1.2.q.13. a.2.ad 2

Vnde ſicut levia & gravia dicuntur ab Ariſtotele & Philoſophis, non à ſe moveri, ſed à generante, quod virtutem motricem ijs impreſſit; ita bruta, cum appetunt, non agunt ſeipſa, ſed aguntur inſtinctu quodam naturali, & impetu effreni. *De brutis enim dicimus*, ait idem Sanctus, *quòd non agunt, ſed aguntur; quia à natura moventur, & non ex proprio motu, ad ſuas actiones agendas.* Et alibi: *Cauſa operationis brutorum eſt inſtinctus quidam quo moventur motu naturali; non enim habent dominium ſui actus.*

Rom. 8. lect. 3.

Idem 2.2.q.95 a.6.

actus. Et pius ac eruditus Bloſius : *Bruta naturam nequa-* Lud.
quam ducunt , ſed à natura ducuntur, non voluntate eligente, Bloſc.
ſed naturâ cogente , appetitum concupiſcentiamque ſuam ſe- 13. Vitæ aſcet.
quuntur.

Coguntur igitur bruta à natura, quomodo non co-
guntur homines, quia ſuorum actuum domini ſunt, eoſ-
que in poteſtate ſua habent ; *quod autem quadam neceſſi-* Lib. 3. c.
tate ab alio agitur ad operandum, ſervituti ſubiectum eſt, ait 112. cõt. Gent.
iterum S. Thomas. Vnde quando Deus cum volunta-
te creata concurrit, concurſum ſuum accommodat na-
turali conditioni eius, nec eripit ei actum impetu quo-
dam naturæ , ut in motibus primò primis accidit ; ſed
eum ita molliter , ut ſic dicam, educit, ut ſimul exeat
ſub dominio & poteſtate voluntatis. *Cauſa enim prima,* Lib. 3. c.
inquit idem, *cauſat operationem cauſa ſecunda, ſecundum mo-* 148. cõt. Gent.
dum ipſius : ergo cauſat in nobis opera noſtra ſecundum modum
noſtrum, qui eſt, ut voluntariè & non coactè agamus. Non igi-
tur divino auxilio aliquis cogitur ad rectè agendum.

An autem Deus , vigilante intellectu, & cum plena VI.
advertentia rationis , poſſit creatæ voluntati neceſſita-
tem coactivam inferre , ſcio doctiſſimos Thomiſtas,
qui putant contradictionem implicare. Henriquez ta- Henriq.
men, & alij credunt eſſe poſſibile. Nam *Deus*, ait Smi- c. 14. de fin. hom
ſingus, *habet ſupremum in omnem cauſam ſecundam imperium,* Theod.
longè efficacius, quàm habeat potentia ſuperior in inferiorem, & Smiſ.
potentia in habitum ſuum. Vnde ſicut voluntas potentiam tract. 3. d. 2. q. 4.
progreſſivam imperio ſuo, ex parte potentiæ neceſſitat, n. 111.
ita Deus voluntatem , etiam deliberatam , neceſſitare
poterit. Quod etiam docet Franc. Suarez, additque ſi- Suar.
mul, *actionem illam,* qua Deus voluntatem ſic neceſſita- Proleg.
ret , *fore diſtinctam ab illa, qua voluntas liberè agere ſinitur.* 1. c. 5. de grat.
Nam, *quamvis,* ait, *ad utramque actionem concurrant tantùm*
voluntas & Deus , tamen Deus influit longè diverſo modo, &
per virtutem ſuam efficaciùs applicatam ; quod ſatis eſt , ad

actionis diverſitatem. Cùm enim Deus eminentiſſimam virtutem agendi habeat, poteſt ad eundem effectum in termino producendum, magis, vel minùs influere pro ſua libertate. Nec idcirco, inquit, neceſſarium eſt, ut actiones ſpecie differant, ſed *ſatis eſt, quòd in ipſa actione ſit aliqua diverſitas, qualiſcumque illa ſit.* Et ante eum Sotus: *Neceſſitari voluntatem à Deo, qui Auctor eſt naturæ, nihil vetat. Sed tunc auferet illi libertatem in tali actione, movendo illam, ceu brutam pecudem.* Et hæc neceſſitas eſt, quam Auguſtinus, Anſelmus, Bernardus, aliíque coactionem vocant: quam pecudes in omni ſuo appetitu patiuntur, hominis verò voluntas, ſtante advertentia rationis, & ubi ſinitur agere naturali ſuo motu, eam non poteſt pati.

Sot lib. 1. c. 16. de nat. & grat.

Vnde profundè Richardus de S. Victore: *Quomodo arbitrium hominis verè, imò ſummè liberum non eſt, quod ſuâ libertate nullâ vi, nulla poteſtate privari poteſt? Nam hoc nec creatura valet, nec Creatorem decet. Sed quomodo vel Creator hoc poteſt, qui nihil quod non decet, facere poteſt? Si igitur nulla violentia arbitrium poteſt ſua privare libertate, conſtat illud ſummam libertatem habere.* Vbi admittit quidem in Deo potentiam ad coactionem & violentiam illam inferendam humanæ voluntati, negat tamen illam Dei potentiam poſſe exire in actum, impeditam à divina ſapientia, quæ nihil, niſi quod decet, facere poteſt. Vnde in re iſta, Pythagorici, Stoici, & inter Iudæos Phariſæi olim erraverunt, dum fatali neceſſitate voluntates humanas rapi, nec alia ratione providentiam Dei defendi poſſe, crediderunt. *Irrevocabilis enim humana pariter ac divina curſus vehit*, ait Romanus Stoicus, *& grande ſolatium eſt, cum univerſo rapi.* Lutherus quoque & Calvinus ſimili raptu voluntates humanas agi exiſtimant, dicuntque apertè libertatem humanam eſſe titulum ſine re, eamque fatali illo raptu, in omnibus omnino actibus, bonis, malis, indifferentibus, funditus everti.

Richar. de S. Vict. tract. 1. c. 23. de ſtat. inter. hô.

Senec. c. 5. de provid.

134

everti. Imò in principio hæreſeos, Lutherus, Melanchthon, & aſſeclæ, *tam bona quàm mala*, ut narrat Sotus, *eſt u bant Deum in nobis, ſine arbitrio noſtro operari, nihil nobis agentibus, ſed merè patientibus*. Quod Molina etiam confitetur. Nam *Lutherus*, inquit, *ſumptâ inde occaſione* (ex ſententia quorundam Nominalium, quòd Deus, ceſſantibus cauſis ſecundis, omnia ſolus operetur) *aſſerere eſt auſus, voluntatem ad actus ſuos internos ſolùm concurrere paſſivè, proficienſq; in peius, negare omnino libertatem arbitrij non formidavit, aſſeruitq; flagitioſa noſtra opera, non minùs eſſe à Deo, quàm alia pia hominum opera*. Quod etiam apertè indicat Trid. Seſſ. VI. can. IV. V. VI. Poſtea tamen *evidentiſſimis teſtimonijs ſacris convicti, coeperunt ſe verſus Catholicam veritatem paulò propiùs explicare*, ait ibidem Sotus. Et nos etiam in dies videmus eos magis magiſque in iſta materia, ad S. Auguſtinum & Eccleſiam accedere.

Sot lib. 1.c.15. de nat. & grat.

Molin. 1.p.q.14 a.13.d.9

VII. Vt ergo tandem rem iſtam finiamus, notanda eſt diviſio cauſæ per ſe, apud Ariſtotelem, in eam quæ agit ſecundum propoſitum, ſive per intellectum, ut ſtatim ſe explicat, & in eam quæ agit non ſecundum propoſitum, ſeu per modum naturæ, Qui ſunt duo modi agendi planè oppoſiti. Nam agens naturale, ſeu per modum naturæ, naturali quadam neceſſitate ex parte potentiæ, in actionem ſuam propellitur; unde talia potiùs aguntur & quaſi inſtigantur ab alio, quàm agant, ut antè ex S. Thoma dictum eſt. Hinc enim *naturæ inſtinctus* nomen accepit, quaſi ſit aliquid in cauſa naturali latens, quod occultè inſtiget & impellat in actionem, nec ſinat eam quaſi in frenis & poteſtate ſuæ cauſæ haberi. Vnde cauſa talis dicitur à naturæ inſtinctu cogi ad agendum: non quaſi tota actio ab extrinſeco veniat, ſed quia cauſa, ex modo ſuo agendi, non cenſetur eam ex ſe depromere, cùm non habeat eam

Ariſt. lib.2.c.5 Phyſ.c.

in ſua poteſtate, ſed poſitis omnibus ad agendum præ-requiſitis, exiliat effreni quodam impetu. Res enim iſta, Philoſophorum omnium confeſſione, vix aliter poteſt explicari.

Cauſa verò agens ex propoſito, eſt ſola voluntas humana, Angelica, divina. Hæc enim præcedente judicio & advertentiâ plenâ intellectûs, agit ſeipſam, & actioni ſuæ dominans, ipſam, nullo inſtinctu aut impetu naturæ coacta, ex ſe depromit. Et hic modus agendi ſemper comitatur actionem voluntatis, præterquam in motibus indeliberatis, & niſi Deus, cum plena advertentia intellectûs, voluntatem ex parte potentiæ, fatali impetu in actum ſuum propelleret; quomodo veteres Stoici, & novi hæretici philoſophantur.

Nam aliàs connaturalis modus agendi voluntatis eſt, ſeipſam agere, non ab alio ita agi, ut cogatur, quomodo agentia merè naturalia dicuntur cogi. Et in iſto agendi modo naturalis libertas voluntatis conſiſtit. Vnde S. Auguſtinus & Patres, ut probent liberum arbitrium non everti per gratiam, ſatis ſe feciſſe exiſtimant, ſi dixerint voluntatem, juxta ſuum connaturalem agendi modum, gratiæ cooperari. Hic autem modus eſt, ut cum plena intellectûs advertentia, ſic à Deo voluntas moveatur, ut non fatali aliquo raptu ex parte potentiæ, rapiatur in conſenſum, ſicut agentia merè naturalia, ex inſtinctu naturæ ſuæ præcipitantur in ſuam actionem. Res, ut antè ex S. Auguſtino monui, ſubtilis & captu difficilis eſt, quia in ſimplici & tenui quodam agendi modo tota conſiſtit. Vnde ſubtilis Scotus rogatus hujus rei rationem, reſpondet, *Eſſentiæ non dari rationem.* Nam *ſicut*, inquit, *non eſt alia ratio, quare hoc habet talem modum eſſendi, niſi quia eſt tale ens; ſic non eſt aliqua ratio, quare hoc habet talem modum agendi, puta, liberè, vel naturaliter, niſi quia eſt tale principium actionum, ſcilicet liberum vel naturale.*

Scot. Quodl. 16.

Hinc

135

Hinc Archidiaconus Tornacenſis voluntatem ſic definit : *Voluntas eſt inſtrumentum ſeipſum movens in objectum bonum, tanquam primum principium ſui motus.* Et hoc ideo, quia, ut ipſe ſe explicat,*non impetu naturæ præcedente motum voluntatis, & voluntatem in actum impellente, vult homo, quæ vult & appetit, quemadmodum appetunt bruta.* Quomodo ergo aliter appetit homo? *Sed deſiderio,* inquit, *& complacentiâ voluntatis præcedente,& naturali impetu voluntatem concomitante.* VIII. Henric. Quodl. 3. q. 18.

Igitur, ex acuta & profunda Doctoris Solennis mente, in appetitu bruti præcedit naturâ (vel potiùs pręcedit ratione,in ipſa natura rei fundatâ)impetus quidam naturalis,ſic impellens potentiam,ut hæc actum ſuum in ſua poteſtate non habeat. Sed in actu humanæ voluntatis deliberato, contrarie ordine, res agitur. Nam complacentia, in quam voluntas ſe reſolvit, ratione antecedit, & impetum naturæ voluntatis poſt ſe comitem trahit. Cùm enim voluntas ſit etiam natura quædam, ideo impetum ejus (non cogentem tamen, nec neceſſitantem) vocat etiam naturalem ; licet non ſit naturalis, ſeu merè naturalis, prout naturale diſtinguitur contra liberum.

Ex qua doctrina etiam patet,ſpontaneum & voluntarium proprijſſimè reperiri in actibus deliberatis voluntatis, in quos ipſa, non aliquo naturali impulſu pręcipitata & coacta, ſed propriâ ſponte & voluntariè ſe reſolvit. Quod ſignificat S. Auguſtinus, dum bruta è numero *cauſarum voluntariarum* ſummovenda ; nec *voluntates appellandas, motus illos, quibus aliqua faciunt ſecundum naturam ſuam, cùm quid boni malive vel appetunt, vel evitant,* indicat. S.Aug. lib. 5. c. 9. Civit.

IX. Libertas autem illa voluntatis, de qua hactenus, tenet ſe ex parte potentiæ, & juxta S. Auguſtinum & SS. Patres, omni actui deliberato & connaturali (ut

ego

ego raptum illum violentum, & connaturali modo agendi voluntatis repugnantem, excludam) humanæ voluntatis, eſt communis.

Sed ex parte objecti, quod proponit intellectus, poteſt aliqua neceſſitas injici voluntati, vel potiùs eam ipſa ſibi injicit.

Sic beati neceſſariò amant Deum clarè viſum, etiamſi ſpontaneo & libero amore, ut non tantùm Scotus, ſed etiam S. Thomas affirmat, quem à Scoto ſuo hîc non diſſentire, fusè & eruditè oſtendit P. Theod. Smiſingus, Scotiſtarum neotericorum clariſſimus. Nam etiamſi propter ſummam objecti amabilitatem, voluntas effuſiſſimo amore Dei eſſentiam ſic revelatâ facie oſtenſam complectatur, non tamen ex impetu quodam naturali eam ſtimulante & determinante, ut appetitus brutorum determinatur; ſed ex prægnantiſſima & juſtiſſima ratione, quam ei intellectus in tali objecto oſtendit, ſeipſam movet, & propter tam excellentis objecti præſtantiam, neceſſitat. Vnde nullam hîc violentiam aut coactionem patitur, ideoque libera manet. *Libertas enim voluntatis*, ait S. Thomas, *opponitur violentiæ vel coactioni. Non eſt autem violentia vel coactio in hoc, quòd aliquid ſecundum ordinem ſuæ naturæ movetur.* Secundum verò ordinem naturæ ſuæ, ſic nata eſt moveri voluntas, ut pleno judicio intellectûs præeunte, ferventiori, aut languidiori amore, prout ratio ei dictaverit, objectum ſuum, ſeipſam determinando, amplectatur. Si autem hoc eſt amittere libertatem, profectò quo aliquis ſapientior & illuminatior, & urgentiores rationes amandi bonum habebit, eo minùs liber erit. Imò Deus, qui ſecundum ſententiam Sanctorum, quos cap. IV. allegavimus, ſapientiſſimè & decentiſſimè omnia vult, nec (infinitâ ſapientiâ potentiam retinente) aliter velle poteſt, nunquam erit liber, ne quidem libertate contradictionis; ubi

Smiſing tom. 2. d. 3. q. 6. de Deo Trino.

S. Tho. q. 10. a. 2. de potent.

ubi divinus intellectus expedientius eſſe agere, quàm non agere, voluntati renunciat.

Hinc etiam illi animorum æſtus & difficultates, quas alij in defendenda Chriſti Domini libertate, patiuntur, nec ullus hactenus diſſipare valuit, qui libertatem in illo indifferentiæ æquilibrio, cap. præcedenti à nobis refutatō, poſuit. In ſententia verò Auguſtini, Anſelmi, Bernardi, S.Tho. omnis omnino pęnè difficultas evaneſcit; licet ſententia ipſa explicatu difficilis ſit.

Nam *etiamſi liberum Chriſti arbitrium eſſet determinatum ad unum numero,* ait S. Thomas, *ſicut ad diligendum Deum,* Idem *quod non facere non poteſt; tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, ſive meriti, quia in illud non coactè,* in 3. d. 18. q. 1. a. 2. *ſed ſponte tendit; & ita eſt actûs ſui dominus.* Vnde eo ipſo, quo nec ex neceſſitate naturæ, nec extrinſeci agentis fatali impetu voluntas in objectum, etiamſi indeclinabiliter, ſe movet, libertatem & dominium actûs retinet, juxta S. Thomam; imò, quod amplius eſt, libertas iſta ad laudem & meritum ſufficit.

Sanè enim, ſi Deus, qui aliter quàm ſapientiſſimè operari non poteſt, ut ante dicebamus, laudem tamen ſic operando infinitam meretur, nulla videtur ratio, cur etiam voluntas Chriſti ſimili neceſſitate operans, laudis & meriti (ſi in ſtatu merendi ſit) capax eſſe non poſſit.

Falli ergò videntur, qui ſtatim atque nomen neceſ- X. ſitatis audiunt, illicò omnem laudem & meritū ab actu neceſſario excluſum putant. An fortè enim nihil laudis merentur beati, qui amore beatifico ſic Deum amant?

Diſtinguenda ergo videtur duplex neceſſitas. Vna tenet ſe ex parte potentiæ, provenitque à natura impellente, & cogente potentiam: unde etiam actionem quodammodo inchoat, ut antea ex Henrico dicebamus. Talis neceſſitas eſt in appetitu brutorum; quæ ideo

non à ſe, ſed à natura & neceſſitate affectus ſuos habere dicuntur. Voluntas autem humana, quia conſenſum ſuum à ſe habet, tali quoque neceſſitate caret.

Homo enim *conſenſum ſuum non naturaliter, nec ex neceſſitate, ſicut equus,* ait S. Anſelmus, *ſed ex ſe apertè videtur habere.*

S. Anſel c.5 de lib.arb.

Similis etiam neceſſitas eſſet, ſi Stoico, Lutherano & fatali raptu Deus voluntatem humanam raperet. Hęc verò utriuſque generis neceſſitas cum libertate, laude, & merito pugnat: ideoque in iſto ſenſu, propoſitionem iſtam, *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit,* jure Pius V. damnavit. Sicuti enim motus primò primi ſunt aliquo modo voluntarij, ita motus ex fatali illo raptu in voluntate excitati; neutri tamen ſunt liberi.

Altera neceſſitas, ex parte objecti allicientis voluntatem provenit: unde non eſt tam *violentiæ neceſſitas,* quàm *ſpontanea & amata tenacitas,* ait tam verè quàm eleganter S. Anſelmus. *Quoniam enim,* inquit, *voluntate* (juxta connaturalem voluntatis operandi modum) *quiſque ad id quod indeclinabiliter vult, trahitur vel impellitur, non inconvenienter trahere aut impellere dicitur Deus, cùm talem voluntatem dat, in quo tractu vel impulſu nulla intelligitur VIOLENTIÆ NECESSITAS, ſed accepta bonæ voluntatis ſpontanea & amata tenacitas.*

S. Anſel lib. 1. cap. 10. Cur Deus homo.

Hic quippe non neceſſitatis, ſed voluptatis eſt tractus: voluptas autem voluntatem, ſine propriè dicta violentia, ſed ſecundum modum ejus agendi & effundendi ſe connaturalem, trahit. *Trahit enim ſua quemque voluptas, non neceſſitas,* inquit ex Poëta Auguſtinus.

S. Aug. tract. 26 in Ioan

Sed catenam illam trahentium & tractorum apud Poëtam ipſum obiter inſpiciamus.

Virgil.

Torva leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam,
Florentem cythiſum ſequitur laſciva capella,

Te Co-

Te Corydon, ô Alexi: trahit ſua quemque voluptas.

Lupus ergo leænam, capella lupum, cythiſus capellam, ad ſe devorandum, voluptate trahit: ſed eo tractu, quo agi & moveri brutalis appetitus poteſt, id eſt, neceſſario. Quæ tamen neceſſitas non ab objecto delectabili proprie, ſed ex ipſa potentia appetendi naſcitur, quam naturalis inſtinctus ſtatim & neceſſario in actum expellit, & amare cogit, ubi imaginatiò in objecto voluptatem oſtenderit. Alexis quoque Corydonem, ſed alio modo, trahit.

Trahit enim quomodo trahi Corydon natus eſt, liberè, non neceſſariò. Voluptatis enim iſte tractus non jam in appetitum bruti, ſed in voluntatem hominis cadit, ideoque eum movet, quomodo connaturaliter eſt mobilis. Voluntas autem, eſt appetitus rationalis, regina & imperatrix potentiarum animæ intellectualis, quæ imperare alijs & conijcere eas in neceſſitatem operandi poteſt, ipſa ab alijs hoc propriè pati non poteſt. Hoc enim eſt contra decus & naturalem potentiæ reginæ dignitatem.

Et hanc neceſſitatem ex parte objecti, non eripere XI.
potentiæ ſuam libertatem, oſtendebat nuper in explicanda Chriſti libertate erudititiſſimus noſter collega Io.
Wiggers. *Præceptum cùm omnibus ſuis circumſtantijs deter-* Ioan.
minatum, & Chriſto impoſitum, inquiebat, *non ſuſtulit Chriſto* Wigg.
libertatem ad illud implendum, quamvis etiam independenter 3.p q.
à conſenſu voluntatis Chriſti ponatur datum, ac ſimul quoque, 18.a.4.
quòd eo poſito, infallibiliter ſecutura erat obedientia Chriſti: quia ſcilicet non habuit efficientiam phyſicam in voluntatem Chriſti, ut illam phyſicè determinaret ad hic & nunc conſenſum præſtandum: eo quòd ſit quid extrinſecum, & potiùs movet ex parte objecti, quàm ex parte potentiæ: neque ponit per ſe aliquid in objecto, quo poſſit voluntati inferre neceſſitatem. Manet ergo voluntas humana Chriſti, poſito etiam ſibi tali

præcepto, intrinſecè & ſimpliciter libera ad præcepti impletionem.

Deinde ait, *non omnino ſibi improbari* ſententiam Scoti, aliorumque, qui aſſerunt, amorem beatificum eſſe liberum, quantum eſt ex parte potentiæ elicientis. Quia

Ibid. n. 25. *quòd beati non poſſunt amittere beatitudinem, non provenit à neceſſitate, qua voluntas intrinſecè determinata & neceſſitata inhæret ſuo fini, ſed ex parte propoſitionis objecti, quod ita proponitur, tanquam in eo ſit omne bonum à voluntate appetibile & fruibile; quæ tamen propoſitio objecti non videtur voluntati in ſe neceſſitatem inferre, aut tollere libertatem.*

Quod ſic explicat. Quia, *ſi per impoſſibile poneretur voluntati beati applicari aliud objectum repugnans melius, poſſet deſerere amorem illius, & huic inhærere.* Declaratque hôc exemplo. Quia *ſi homo in ſtatu naturæ integræ, ſine donis ſupernaturalibus, ſed cum perfectione virtutum moralium, qui perfecto modo frueretur beatitudine ſua naturali, is inſeparabiliter diceretur amore inhærere ſuo fini naturali; & tamen, ſi poſtea donis ſupernaturalibus elevaretur, & inciperet Deum clarè intueri, poſſet ſuſpendere actũ amoris naturalis, & incipere amore ſupernaturali inhærere fini ſupernaturali, nullâ factâ ablatione alicujus à voluntate, quod poſſet exiſtimari prius neceſſitaſſe voluntatem ad amandũ finem naturalem.* Quod exemplũ ſignificat, adhæſionem voluntatis ad tale objectum non eſſe neceſſariam ex parte potentiæ, ſed tantùm ex parte objecti potentiam allicientis: ita ut voluntas non impetu quodam naturæ in illud neceſſariò impellatur, ſed ipſa ſe ſponte moveat; neceſſariò tamen ex parte præſentis objecti, ita nihilominus, ut quantum eſt, ex modo quo amorem elicit, mutare illum poſſit, ſi quod amabilius objectum intellectus ei proponat.

Hinc colligi, & intelligi poteſt, in tali actu voluntatis, etiam neceſſario ex parte ſolius objecti, eſſe veluti quandam indifferentiam contradictionis, quantum eſt ex mo-

ex modo, quo à potentia ſua egreditur. Sic enim ab ea elicitur, ut poſſet non elici, quantum eſt ex parte potentiæ, quæ non impetu naturæ in objectum ſuum impellitur, ſed ſpontaneè & voluntariè ſe reſolvit.

Nec Ariſtoteles, ſi attentè legatur, ad libertatem actûs amplius quàm ut perfectè ἑκούσιος *ſpontaneus* ſit, requirit, nec indifferentiæ illius ęquilibrij, de qua cap. X. differuimus, ullibi meminit. Ariſtot. lib. 3. cap. 7. Ethic.

XIII. Iuxta hanc doctrinam explicari & retineri poteſt illa definitio actus liberi, quam recentiores Philoſophi formaverunt, *Qui poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poteſt elici, & non elici*: quantum ſcilicet eſt ex parte modi, quo à potentia ſua elicitur.

Imò, ſi res non perfunctoriè, ut à multis ſolet, ſed attentè examinetur, definitio illa actui libero libertate propriæ indifferentiæ accommodari non poteſt.

Nam in primis ad libertatem actûs non requiritur indifferētia ęquilibrij proxima, ſeu, ut volūtas per duplex judicium intellectûs inter duo contraria, aut contradictoria objecta, ſemper actu ſuſpendatur, ut cap. X. oſtendimus. Si verò indifferentia voluntatis ſolum ſit remota (ut quando per unicum judicium practicum, de hoc objecto amplectendo, ſe reſolvit) talis actus, juxta vulgarem illam definitionem, ut ipſi eam explicant, liber dici non poteſt; quia voluntati non adſunt omnia neceſſariò prærequiſita, ut non agere, ſeu liberè libertate indifferentiæ vulgaris ab actione ceſſare poſſit.

Deeſt enim ei judicium aliquod practicum, quo vel utilitas ceſſationis, vel moleſtia actionis quæ exercetur, aut quid ſimile, voluntati repræſentetur, ut ibidem declaravimus.

XIV. Hancquoque noſtram, id eſt, veterem libertatis explicationem amplecti debent, quotquot judicio pra-

ctico, aut imperio efficaci, ut Thomiſtæ, Bellarminus, alijque, voluntatem in omnibus actibus liberis neceſſariò determinari docent.

Nam poſito illo judicio, aut imperio efficaci, voluntas, inquiunt, non poteſt in ſenſu compoſito reniti: unde nulla alia relinquitur ei actualis libertas, quàm ſpontaneæ determinationis ex parte ſua, & ex modo ſuo agendi connaturali.

Aliâ tamen viâ libertatem actûs tunc, ſalvare conatur Medina. *Poſito enim imperio efficaci intellectûs*, inquit, *neceſſum eſt, ut obediat voluntas. Ceterùm non neceſſitatur ad operandum; ſiquidem poteſt imperium ceſſare pro noſtro arbitratu.* Sed profectò, ut ceſſare poſſit pro libero arbitratu voluntatis, debet intellectus arbitrari, & judicare imperium illud ſupprimendum eſſe: quod quamdiu non judicatur, voluntas ſolùm remotè eſt indifferens & expedita ad ceſſandum. Vnde multo minùs poteſt dici proximè expedita, ut non obediat imperio intellectûs, quamdiu imperium adhuc durat, quo durante, juxta illorum ſententiam, neceſſariò obedit.

Medin. 1.2.q.10 a.4.

Itaque remota illa indifferentia, quæ quaſi conflatur ex duplici capacitate; unâ proxima, eliciendi actum voluntatis, ſtante imperio intellectûs; & ex alia capacitate remota ad ceſſandum ab actu voluntatis, ſi imperium intellectûs amoveatur, non poteſt actualem indifferentiam vulgarem cõmunicare actui voluntatis, qui ex tali imperio intellectûs neceſſariò elicitur: quia non adſunt voluntati omnia prærequiſita ad hîc & nunc ceſſandum ab actu, quamdiu imperium intellectûs durat. Si enim ad actualem indifferentiam illam contradictionis ſufficeret, egredi à voluntate quæ ab actu ſuo ceſſare poteſt, ſi mutetur imperium aut judicium intellectûs, motus noſtri indeliberati, liberi eſſent libertate contradictionis, quia ceſſare poſſunt, ſi accedat nova advertentia rationis. De-

Denique, veterem & regiam libertatis explanandæ viam ſequi oportet eos, qui cum S. Auguſtino & S. Thoma, voluntatem hominis lapſi faciunt divinæ gratiæ, non dominam, ſed pediſſequam. Si enim gratia præveniens determinet voluntatem, & eam operari faciat *indeclinabiliter*, ut Auguſtinus loquitur, profectò gratia evertit indifferentiæ vulgaris æquilibrium & bilancem, & ſuaviſſimè quidem, ſed ſimul potentiſſimè declinat in alteram, non tantùm contrarietatis, ſed etiam contradictionis partem; manetque in actu voluntatis ſola illa generalis *indifferentia voluntariæ ſpontaneitatis*. Sic enim eam nunc vocemus; vulgarem verò indifferentiam, *bilancis indifferentiam* vocare poſſumus. XV.

Difficile nihilominus eſt, indifferentiam ſpontaneitatis, ſeu modum naturalem agendi voluntatis quo ſeipſam movet, redigere in concordiam cum concurſu gratiæ prævenientis, quæ inchoat motum voluntatis. Si enim voluntas ab alio determinatur, quo modo ſeipſam determinat? Idcirco Theologi Colonienſes nuper, *ne ulla deinceps*, inquiunt, *ulterioris controverſia detur anſa*, ſimultaneam potiùs, quàm prævenientem gratiæ motionem conſtituunt. Nam *liberum arbitrium ſua libertate*, inquiunt, *cum ſpeciali divina motionis applauſu fruitur; utpote quæ motio inter cooperandum, tanto activo paſſivoque amplexu dignatur liberum arbitrium, ut in uno eodemque natura inſtanti, ſe mutuo inſinuent, intimeque penetrent; ita ut, unam eandemque actionem conſtituant, qua Dei motionem arbitriumque humanum, uti duas, non partiales, ſed totales in ſuo genere cauſas eſſentialiter, ſalvo ſubordinationis ordine, reſpiciat.* Sum. Theol. Colon. 1.2.trac 5. de auxilijs. edita An. 1638

Sed tamen etiam præcedere poteſt ſuavitatis quidam tractus ex parte objecti, ſicut *trahit ſua quemque voluptas*, qui voluntatem non impellit & cogit, ſicut bruta

bruta ab inſtinctu naturæ ſuæ coguntur, ſed *miro & ineffabili modo*, ut ait Auguſtinus, facit ut propriâ ſponte, molliter & ſuaviter ſe unà determinet. Talis autem neceſſitas ex parte objecti, non mutat connaturalem modum agendi voluntatis, ut antè explanatum eſt. Et licet ante conſenſum voluntatis plerumque excitetur in voluntate actus amoris indeliberatus, qui voluntatem ad conſenſum illum ſuaviter inducit; ille tamen ex parte objecti totam vim ſuam movendi habet. Nam eſt gutta roris quædam & ſuavitas ab objecti dulcedine in voluntatem ſubitò depluens, & voluntatem ad liberè eidem dulcedini objectivæ cōſentiendum inducens. Vnde ex parte potentię, nullus hîc Stoicus, aut Lutheranus impetus coactivus imprimitur, qui voluntatem fatali neceſſitate abripiat; quia *auxilium quod homini ad conſequendam felicitatem divinitus datur, non eſt coactivum*, inquit alicubi S. Thomas. Ad cogendum enim, ſive ad neceſſitatem inijciendam ex parte potentiæ, neceſſe foret, ut antea ex Suario audivimus, ut Deus *per virtutem ſuam efficaciùs applicatam, & longè alio modo influeret*, quàm ad actiones voluntatis ordinarias, in quibus ſpontaneo & libero agendi ejus modo virtutem ſuam Deus accommodat.

S. Tho. lib. 3. c. 148. contra Gent.

Suar. Prolog. 1. c. 5.

Non malè igitur doctiſſimus Medina: *Deus non movet noſtram voluntatem, ſicut habitus naturales, aut ſicut impetus ſagittam, nec ut mens noſtra membra exteriora, nec ſicut movet nos, qui trahit nos invitos; ſed movet nos liberè, ut nati ſumus moveri. Movet, inquam, nos, ac ſi ſolus homo eſſet in Mundo, in manu conſilij ſui conſtitutus. Et hoc eſt, quod dicit Salomon, quòd cum magna reverentia diſponit nos.* Et tandem concludens: *Itaque*, ait, *ad hoc quòd Deus neceſſitet voluntatem, requiritur, quòd velit voluntatem neceſſariò agere.*

Medin. 1. 2. q. 10. a. 4.

Sap. 12.

Sed nónne Theologi quidam ſic loquuntur, inquies, ut ne-

140

ut negent voluntatem habere actum ſuum in poteſtate, etiã quando ſola neceſſitas ex parte objecti, eam urget?

Non diffiteor quoſdam ſic loqui, quia ſufficit ipſis quævis neceſſitas, undecumque illa veniat, modò æquilibrij ſui indifferentiam tollat. Sed non ita veteres, quibus Auguſtini, imò Ariſtotelis benè intellecti doctrina placuit. Neceſſitas enim illa ex parte objecti, non immutat connaturalem & ordinarium modum agendi voluntatis; unde non tam eſt *neceſſitas*, quàm *amata tenacitas*, ut S. Anſelmus antea nos docuit. Nam ex contemplatione objecti tam amabilis tenaciſſimè & unà liberrimè voluntas ſe reſolvit, nec tam neceſſitatur ad amãdum, quàm ab intellectu duce convincitur ut amet.

Nam anima noſtra tantam amabilitatem per intellectum, plenâ advertentiâ rationis, apprehendens, non continēt ſe quidem, quin per voluntatem in amorem ſe effundat; tamen quantum eſt ex modo ſe effundendi, continere ſe poſſet; & facto ipſo poteſtatem, qua hunc actum adhuc regit & ei dominatur, oſtenderet., ſi fortè aliquid amabilius intellectus ei oſtenderet.

Quia tamen Deus clarè viſus, omnium poſſibilium objectorum amabiliſſimum eſt, quiſpiam exiſtimet, amorem beatificum hoc habere ſpeciale, quòd omnino neceſſarius & extra voluntatis poteſtatem & dominium ereptus ſit. Quod non longè fortaſſe reijciam; niſi hoc etiam mihi ſimul in mentem veniret: quòd ſicuti viſio beatifica in infinitum augeri & perfici poteſt, quò plures & plures creaturæ poſſibiles in divina eſſentia videri poſſunt; ita alius aliuſque amor beatificus, ſine fine perfectior viſiones illas perfectiores comitari fortè poſſit. Nam veluti viſio qua plures in Deo creaturæ videntur, ſi non ſpecie proprie dictâ, ſaltem entitate & pluſquam ſolo numero diſtat à viſione, qua videntur pau-

tur pauciores; ita non pauci opinabuntur, amorem illum beatificum entitate perfectiorem eſſe, quo diligitur Deus ſub reſpectu ad plures creaturas. Sic enim objectum iſtud, ſicut eſt admirabilius; ita alio & altiori amore amabilius.

Oſtendantur ergo intellectui animæ beatæ plures creaturæ in Deo, à priori fortaſſis amore deſinere poterit, & alium perfectiorem elicere, qui in Deum jam aliter, ſub ratione objecti admirabilioris & amabilioris ſe effundat.

Denique tamen etiamſi neceſſitas illa amoris beatifici objectiva, eſſet ſumma, nihilominus manet ſemper objectiva tantùm, nec fatalem raptum voluntati injicit, licet extrinſecè infallibiliter, & vehementiſſimè alliciat. Vocemus ergo neceſſitatem ex parte objecti, *neceſſitatem infallibilitatis*, neceſſitatem verò ex parte potentiæ, quæ propriè illam neceſſitat, & actum è poteſtate dominioq; ejus eripit, *neceſſitatem naturæ*, aut, *fatalitatis*.

COROLLARIVM.

I. VT igitur omnia jam ſparſa breviter colligamus. Libertas arbitrij, ut ad divinam, Angelicam, humanam eſt communis, in modo quodam operandi voluntatis conſiſtit, quo perfectè ſpontaneè, ex plena advertentia rationis ſeipſam ad amplectendum, aut non amplectendum aliquod objectum, reſolvit. In quo modo ſe reſolvendi eſt quædam, veluti indifferentia contradictionis, ut diximus, eo ipſo quo, quantum eſt ex parte potentiæ, propriâ ſponte non naturali, aut fatali impulſu in actum ſuum deſcendit.

S. Proſp. c. 18 contra Collat. Vnde *liberum arbitriū, eſt rei placitæ ſpontaneus appetitus*, ait, eſſentialiter illud definiens, S. Proſper. *Siquidem non cogi-*

non cogitur, *non extorquetur*, conſenſus ejus: *eſt quippe voluntatis*, *non neceſſitatis*, addit S. Bernardus. *Vbi ergo conſenſus, ibi voluntas: porrò ubi voluntas, ibi libertas. Et hoc eſt, quod dici puto liberum arbitrium.* S. Bern. de lib. arbit.

Et hæc eſt libertas eſſentialis, quæ in omni actu voluntatis reperitur, exceptis motibus primò primis, & fatali raptu, quo Deus voluntatem neceſſitaret, ſi omnipotentiam ſuam ſic ad eam movendam applicaret, quomodo delirant Stoici, & hæretici fatalis neceſſitatis aſſertores.

Præter hanc libertatem eſſentialem, eſt altera accidentalis, quæ in indifferentia quadam velut æquilibrij conſiſtit ad volendum bonum & malum, aut ad volendum alterutrum & ad ceſſandum à volitione ejus.

Loquor autem ſolum de libertate circa bonum & malũ, quia in materia morali, in qua verſamur, ſola illa libertas æſtimari ſolet. Deinde in ſententia SS. Auguſtini & Thomæ, omnis actus voluntatis deliberatus eſt ſaltem in individuo, bonus aut malus, nullus indifferens.

Deus autem hac libertate indifferentię ad bonum & malum caret, quia eſſentialis rectitudo divinę voluntatis non patitur, ut in malum ferri poſſit. Caret quoque Chriſtus homo, carent beati in cælis.

Deus quoque, ubi ſemel aliquod bonum voluit, immobilis in ſua reſolutione manet, nec ceſſare ab actu interno ſuæ voluntatis poteſt, quia eſt immutabilis. Ab initio etiam, ut ſic dicam, æternitatis, non aliter ſe habere voluntas ejus potuit, quàm infinita ſapientia, dux voluntatis, ei præſcripſit. Si autem Sanctos audimus, præſcripſit id quod maximè expediens fuit, nec aliter potuit. Nam *omnia, procul dubio*, ait Damaſcenus, *quæ Dei providentiâ fiunt rectâ ratione, pulcherrimè aç diviniſſimè fieri neceſſe eſt.* Damaſcen. lib. 2. c. 29. Orthod

Anſel. lib. 1. cap. 10. Cur Deus. Et Anſelmus: *In Deo, quantumlibet parvum inconveniens ſequitur impoſſibilitas.* Vnde ſi æterna ſapientia judicavit inconveniens, non velle creare Mundum, divina voluntas non potuit non velle creare, quia contra ſapientiæ ſuæ dictamen feciſſet. Ad hunc tamen, aut iſtum Mundum ſolo numero diverſum, creandum, ut videtur, indifferens fuit; numerica enim diſtinctio in actionibus tam honeſtis, quàm inhoneſtis, materialis & impertinens eſſe ſolet. In omnibus nihilominus actionibus, & voluntatibus Dei ad creaturas terminatis, eſt libertas illa prior & eſſentialis.

Notanda quoque diverſitas inter objecta, ad quæ divina voluntas negatur eſſe indifferens. Quædam enim ſunt omnino & intrinſecè mala, ad quæ proinde rectiſſima illa voluntas nullo modo ſe exercere poteſt. Alia non ſunt ſecundum ſe mala, ac proinde ad ea ſe extendere poſſet, niſi puritas & eminentia operantis, & infinita ſapientia quæ voluntatem illam dirigit, intercederet, ne id faciat. Vnde ſolùm dicitur hoc non poſſe, quatenus potentia ſub directione tam recti & exacti ducis incedit.

In hominibus autem viatoribus eſt etiam accidentalis libertas indifferentiæ ad bonum & malum, niſi Deus ſpeciali privilegio quempiam in bono confirmet. Non enim tanta indifferentiæ laxitas neceſſaria eſt ad meritum, aut per ſe ad meriti incrementum confert. Vnde cùm ſapiens beatum dicit, *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit;* non vult dicere, *quòd poſſe peccare faciat ad meritum,* ait S. Thomas; *ſed ad meriti manifeſtationem, in quantum oſtendit opus bonum eſſe voluntarium. Et ideo inter laudes viri juſti ponitur, quia laus eſt virtutis manifeſtatio.* Illa quippe ad bonum & malum indifferentia, ſignum eſt liberi arbitrij humani, tam in amplectendis bonis, quàm malis. Potentia enim quæ iſtam accidentalem indifferentiæ libertatem

Eccli. 31. S.Tho. q.34.a.9 de verit.

tem

142

tem habet, voluntariè & liberè libertate eſſentiali etjam ad opus bonum ſe determinat. Non tamen eo modo, quo ad malum. Nam *liberum arbitrium*, ait Auguſtinus, *ad malum ſufficit, ad bonum autem nihil eſt, niſi adjuvetur ab omnipotenti bono.* Vnde Magiſter Lombardus, ad hanc doctrinam aſpiciens, *Liberum arbitrium*, definit *facultatem rationis & voluntatis, qua bonum eligitur gratiâ aſſiſtente, vel malũ eâdem deſiſtente.* Quę eſt definitio creati liberi arbitrij, libertate illâ indifferentiæ accidentalis. S. Aug. c 11. de correpe Magiſt. in 2. d. 24.

Nec tamen tantùm liber eſt homo, quando quaſi in bivio poſitus, utram viam ingrediatur, ſuſpenſus deliberat, ſed etiam quando alteram jam ingreſſus, progreditur nihilampliùs de via quam reliquit, cogitans.

Liber, inquam, eſt tam contrarietatis, quàm contradictionis libertate. Nam ſi faciat bonum, ſic facit, ut dicatur etiam poſſe facere malum, & poſſe ceſſare à faciendo bonum. Nam licet nulla in ipſo ſit jam cogitatio de faciendo malum, aut de ceſſando à bono (& nullâ cogitatione præcurrente voluntas liberè amplecti malum, aut liberè ceſſare à bono non poſſit, quia non fertur in incognitum, nec poteſt liberè ceſſare ab actu, niſi ſuæ ceſſationis aliquam rationem reddere poſſit;) tamen potentiam ad utrumque ſufficientem habere dicitur, quia cognitio quæ deeſt, tantũ eſt applicatio objecti, non pars potentiæ, eſtq; quodãmodo idẽ actus cum actu voluntatis, quem illa cognitio quodammodo inchoat. Vnde ſicut ignis dicitur habere potentiam calefaciendi aquam, etiamſi applicatio adhuc ei deſit; ita voluntas habere potentiam ad malum faciendum, aut ceſſandum à bono, licet neutrum objectum adhuc ei per intellectum applicatum ſit. Et ſic intelligi debent Ariſtoteles & Auctores antiqui, dum dicunt voluntatem talem liberam eſſe libertate contrarietatis & contradictionis; non quo-

modo nova Philoſophia finxit; quaſi ad ſingulos actus liberos, oporteat adeſſe duplex actuale judicium practicum de utroque extremo contrarietatis aut contradictionis, quibus voluntas actu inter illa, quaſi in æquilibrio ſuſpendatur, ut ſe in hoc, aut in iſtud inclinare poſſit. Interim tamen, dum voluntas unico judicio præeunte, in via boni, aut mali progreditur, indifferentia illa remota contrarietatis, aut contradictionis nullã actualem indifferentiam in actus liberos voluntatis influit, quia voluntas non eſt per duplex judicium proximè in æquilibrio conſtituta; ſed tota libertas illorum actuum venit à libertate eſſentiali voluntatis, quæ modo ſibi connaturali actus illos liberè elicit, non autem adacta *fatali neceſſitate*, ut Julianus Auguſtino objicit.

S. Aug. lib. 4. cap. 8. contra Jul. Idem lib. 1. c. 5. ad Boniſ.

Hæc videtur mihi Philoſophia vetuſta & vera, juxta cujus regulas longè faciliùs liberi arbitrij & divinæ gratiæ concordiam cum Auguſtino & diſcipulis ejus defendimus; niſi Sedi Apoſtolicæ aliter viſum, cui nos & omnia noſtra libenter & meritò ſubijcimus.

CAPUT XII.

An ignorantia invincibilis juris naturæ, quæ eſt pœna peccati originalis, excuſet à peccato.

I. PRæter concupiſcentiam, aliud peccati originalis vulnus eſt ignorantia; per quam quaſi clauſis oculis peccata committuntur, quæ per concupiſcentiam, quaſi apertis, vigilante, inquam, & vidente ratione, ſed cupiditate vincente, perpetramus.

Oportet autem hîc in primis ſupponere ea quę apud Auguſtinum, Janſenium, & omnes certa ſunt & in confeſſo,

Primò,

Primò, ſicuti bruta in nullis appetitus ſenſitivi motibus peccant, quia nulla in ijs eſt ratio quæ regat appetitum; ita infantes & amentes nullius peccati capaces ſunt, quia ratio in ipſis ſopita, & quantum ad uſum, nulla eſt: unde nec caro ibi adverſus ſpiritum concupiſcit, quia ſpiritus nondum valet concupiſcere adverſus carnem, in qua ſepultus, & quodammodo mortuus jacet. Solo autem ſpiritu rationali hominis expedito & vigilante peccata committi poſſunt. Illi quippe ſoli leges impoſitæ ſunt, qui earum obligationem intelligere poteſt.

Vnde cum parvuli in baptiſmo, *vocibus quibus poſſunt & motibus reluctantur, non ijs imputatur*, ait Auguſtinus, *atque omnis reniſus eorum nihili penditur, quia in tantum neſciunt quid faciant, ut nec facere judicentur.* Aguntur enim à natura, non ſeipſos agunt. *Quod tamen ijs*, inquit alibi, *ad magnum impietatis peccatum imputaretur, ſi jam libero uterentur arbitrio.* S. Aug. Epiſt. 57 Idem c. 22. de grat. & lib. arb.

Deinde, nec quæ in ſomno & ſomnijs, ſopitâ ratione, ab imaginatione & appetitu irrationali turpiter deſignantur, peccata ſunt, ideoque nec ludibria illa in culpam ab altiſſimo imputantur. *Cum ſopitos deludunt omnia ſenſus*, inquit iterum Auguſtinus, *neſcio quomodo etiam caſta anima in turpes labuntur aſſenſus: quæ ſi imputaret altiſſimus, quis viveret caſtus?* Idem lib. 4. cap. 2. contra Iul.

Similiter neque motus appetitûs ſenſitivi, rationi vigilanti inobedientes, in peccatis deputantur, ſi voluntas repugnet, ut adverſus hæreticos cum Auguſtino docet Ianſenius.

Breviter enim S. Proſper: *Non concupiſcentiam in nobis ſentiendo, ſed ei conſentiendo peccamus.* Aliàs peccaſſet Paulus quando ſtimulo carnis ſuæ, & ab Angelo Sataną colaphizatus, exclamat, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et Auguſtinus fortiter & egregiè, ut S Proſp lib. 3. c. 2 de vita contépl Rom. 7. S. Aug. lib. 1 c. 25. Civit.

giè, ut ſolet: *Quòd ſi illa concupiſcentialis inobedientia quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter noſtræ voluntatis legem, quaſi lege ſuâ movetur, quanto magis abſque culpa eſt in corpore non conſentientis, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis.*

Deinde motus repentini, quos primò primos appellamus, qui ad primum & indeliberatum objecti occurſum evolant extra poteſtatem voluntatis, culpa carent, quia humani & liberi non ſunt. Si tamen ſemideliberati, & non omnino poteſtatem voluntatis effugerint, venialem culpam habere poſſunt. De quibus Auguſtinus: *Sæpe in leviſſimis, & aliquando incautis obrepit peccatum, & juſti fuerunt, & ſine peccato non fuerunt.*

Idem. c. 38. de nat. & grat.

Denique ignorantia invincibilis legis poſitivæ, etiam divinæ, & invincibilis ignorantia facti, ſine controverſia, ex Auguſtini, Ianſenij, & omnium doctrina, excuſat à peccato.

Tota igitur controverſia circa ignorantiam legis naturalis verſatur. Videtur autem multis nimis admirabile & durum, quòd homines in aliquo actu peccent, in quo ſe peccare, invincibiliter neſciunt. Sed ſi res vivis oculis, & fons unde doctrina iſta manat, inſpiciatur, non hoc magis mirum fortaſſe videbitur, quàm peccata concupiſcentiæ nobis imputari, quando apertis oculis, *à concupiſcentia abſtracti & illecti*, ex infirmitate peccamus, dolenteſque Poëtæ illud ingemiſcimus, *Video meliora, proboque, deteriora ſequor.* Nam veluti à nobis ipſis impotentes ſumus ad diſcutiendam ignorantiæ invincibilis caliginem, ita ad ſuperandam concupiſcentię deprimentem inclinationem. Vtrumque tamen per gratiam ejus poſſumus, qui *illuminat cæcos, & ſanat infirmos.*

Iac. 1.

Hoc tantùm diſcrimen eſt, quòd peccata invincibilis ignorantiæ, ſine ſcrupulo & reniſu conſcientiæ perpetrentur

trentur, quia peccata eſſe non exiſtimantur; peccata verò infirmitatis, in ijs qui non omnino ſunt mali, cum aliquo conſcientiæ remorſu interdum committantur. Vident enim meliora, ſed ſuavi concupiſcentiæ tyrannide victi, deteriora ſequuntur: ut ille amaſius qui olim Galeno dicebat, *Vellem deſinere, ſed non poſſum*. Et licet interdum concupiſcentiæ unius laqueo ſe viribus ſuis expediant, in laqueum tamen alterius ſe induunt, & ut dicit S. Proſper, Galen. lib. de curand. affect.

——— *In vulnera vulnere ſurgunt.*

Nam quamvis liberum arbitrium cum concupiſcentia luctans, huc illuc ſine divina gratia ſe flectere & volvere poſſit, certiſſimum tamen ex doctrina ſui Magiſtri credidit S. Proſper, S. Proſ. Carm. de Ing.

——— *Nunquam conſurgere poſſe,*

Inque novos lapſus ſemper, nitendo revolvi:

Id eſt, perfectam victoriam obtineri non poſſe, ita ut non peccatum peccato, ſed verâ virtute vincatur, ſine gratia Chriſti. Nam quò ſe volvat, ut omnes laqueos evadat miſerum arbitrium? Nullus enim eſt actus in individuo indifferens apud S. Auguſtinum & S. Thomam; & actus qui dicuntur moraliter boni, ſunt tantùm officia virtutum, qui, ut minimum, maculam illam ſibi aſſidentem habent, quòd non referantur ad finem quò deberent, ut cap. IX. ſatis multis argumentis à nobis eſt aſſertum. Quid igitur reſtat? Hoc unicum: ut à paſſione una reiiciat ſe in alteram, avaritia refrenet intemperantiam, vana gloria adulterij flagitium; & breviter, ut peccato vincatur peccatum.

Sed nunquid injuſtus eſt Deus, qui ab homine exigit, ut vitet quod malum eſſe neſcit? Sed contrà etiam interrogo: Nunquid injuſtus Deus, qui ab eodem homine exigit, ut vitet quod malum eſſe ſcit, ſed tamen viribus ſuis evitare non poteſt? Nónne ab homine

acutiſſimis carnis ſuæ ſtimulis agitato lex æterna poſtulat, ut ſe contineat; quod tamen in omnium Catholicorum ſententiá,non poteſt ſine gratia efficere, quam
Rom.7. Deus non omnibus donat? Vnde Paulus, cùm exclamaſſet, *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* non dixit, Liberum meum arbitrium, ſed *Gratia Dei, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Non eſt ergo injuſtus, qui uni facit gratiam, alteri juſtitiam; quam in utrumque ſine injuſtitia exercere poſſet, ut tam ſæpe Pelagianis reſpondet Auguſtinus. Quis enim juſtè adverſus eum conqueri poſſet, ſi neminem per gratiam ſuam ex maſſa illa damnationis eriperet,in quam commune totius naturæ, in uno homine quaſi concluſæ, peccatum omnes conjecit?

Præcipit ergo jam Deus viribus noſtris impoſſibilia, ſed valde tamen poſſibilia, ſi gratia ejus vires noſtras adjuvet. Hæc enim gratia eſt, quæ in peccatis ignorantiæ, oculos cæcorum aperit, quæ in peccatis infirmitatis, imbecillitatem fulcit. Nec impotentiam noſtram magis in uno genere peccatorum, quàm in
S Aug. altero olim admiratus eſt Auguſtinus. *Nec mirandum eſt,*
lib. 3. c. inquit, *quòd homo vel ignorando non habeat arbitrium libe-*
18. de grat & *rum voluntatis ad eligendum quid rectè faciat* (ecce pecca-
lib. arb. ta ignorantiæ) *vel reſiſtente carnali conſuetudine*(ecce peccata infirmitatis) *quæ violentiâ mortalis ſucceſſionis, quodammodo naturaliter inolevit, videat quid rectè faciendum ſit, & velit, nec poſſit implere.*

Cur autem non miraris Doctor profundiſſime, quod hodie miramur tam impenſe? *Illa eſt enim*, inquit, *peccati pœna juſtiſſima, ut amittat unuſquiſque quo bene uti noluit, cum ſine ulla poſſet difficultate, ſi vellet. Id eſt autem, ut qui ſciens rectè non facit* (ut quivis homo in primo ſuo parente) *amittat ſcire quid rectum ſit: & qui rectè facere cum poſſet, noluit, amittat poſſe, cum velit.* Vnde in homine,

homine, qui in iſtam neceſſitatem ultrò ſe conjecit, ait quædam *etiam neceſſitate facta improbari.*

Non quaſi liberum arbitrium extinctum ſit, ſed quia *ſine gratia otioſum eſt* ad bonum, ut ait S. Anſelmus. Otioſum, inquam, vel ſicut oculus in tenebris, qui videre non poteſt ſine adjutorio luminis; vel ſicut potentia progreſſiva in podagrico infirmo, qui videt quò eundum ſit, & ire non valet.

Veruntamen, ſi homo in iſta ignorantia & infirmitate, ſic ab initio conditus fuiſſet, quæ nunc ignorantiæ & infirmitatis vocantur & ſunt verè peccata, nulla fuiſſent, quia vitare ea homo ſine alijs viribus non potuiſſet, nec carentia illa virium imputari ei poterat, quam per peccatnm non commeruiſſet. *Nam ſi non eſt* Idem
iſta pœna hominis, ſed natura, ait intrepidè & ſine fluctu lib.3.c.
Auguſtinus, *nulla iſta peccata ſunt. Si enim non receditur ab* 18.de grat. &
eo modo, quo naturaliter factus eſt, ita ut melius eſſe non poſſit; ea lib.arb.
quæ debet facit, cum hæc facit. Si autem bonus homo eſſet (qualis conditus eſt) *aliter eſſet. Nunc autem quia ita eſt, non eſt bonus, nec habet in poteſtate ut bonus ſit: ſive non videndo* (per ignorantiam) *qualis eſſe debeat: ſive videndo, & non valendo eſſe* (per infirmitatem) *qualem debere eſſe ſe videt.*

Vnde ne peccata ignorantiæ, & infirmitatis in Deũ tanquã Auctorem naturæ malè conditæ, refundantur, Auguſtinus cenſet, ut cap. IV. enarravimus, Dei ſapientiam & bonitatem obſtitiſſe, ne homo in iſtis, quibus iam naſcitur, ignorantiæ tenebris, & concupiſcentiæ infirmitate conderetur.

Si enim brutis animantibus providit Deus ſcientiam & artem, qua ſe in vita animali regant, & individui ac ſpeciei ſuæ bonum procurent, mala avertant; ſapientia ejus & bonitas animali rationali ſcientiam legis naturæ, ad cujus normam vitam ſuam dirigere debebat,

etiam in initio debuit infundere. Numquid enim ei cura ſolum eſt de bobus, & non de hominibus?

Si ergo araneus v. g. ita eſſet conditus, ut nullæ ſpecies phantaſticæ, quibus textrinæ ſuæ artificium concipit, ei infuſæ eſſent, omnes malè conditum & Auctorem naturæ in neceſſarijs defeciſſe faterentur; ita hominum naturam malè à principio inſtitutam confitendum eſt, ſi homo Princeps animalium, ſine ſcientia, ſine viribus, quibus ſe regat, & actiones ſuas ad Creatoris leges componat, creatus eſt. Vnde ſicuti nemo araneo imputaret, ſi telam aut retia non texeret, nemo hirundini, ſi nidum non conſtrueret; quorum operum ideas & artem à Conditore non accepiſſent; ita nemo hominem non cuſtoditæ naturæ legis iuſtè accuſare poſſet, ſi ſcientiam ejus, aut vires ad cuſtodiendam in creatione Conditor non infudiſſet.

Nunc verò & infudit, & homo ſuâ culpâ perdidit, ideoque quidquid jam mali, vel per illius legis ignorantiam, vel per virium imbecillitatem deſignat, ei in culpam imputatur. Nec apud diligentem æſtimatorem videtur hoc magis mirum, quàm nos etiam ignorantes, jmò cum nondum eſſemus, incurriſſe aliena voluntate originale, *quod veram & propriam peccati rationem habet*: Quàm enim vero ſimilius, & humanæ imaginationi probabilius eſt, nos jam propriâ voluntate, ſponte & liberè amplectendo aliquod malum, re verâ peccare, cujus licet ignoremus formalem malitiam, non tamen malitiæ proximum ignoramus fundamentum?

Trid. Seſſ. 5.

Vnde Auguſtinus ex peccatis ignorantiæ, tanquam notioribus probat nos etiam ignorantes & quadam neceſſitate peccato primi parentis infici potuiſſe. *Cogitare te exiſtimo*, inquit ad Iulianum, *quid appetendum, quid vitandum ſit in agenda vita, quanto labore diſcatur. Qui autem neſciunt, ipſam boni appetendi malique vitandi ignoran-*

S. Aug. Op. imp

ignorantiam patiuntur, peccandi neceſſitatem. Neceſſe eſt enim ut peccet, qui neſciendo quid facere debeat, quid non debeat facere, facit. De quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur, Delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris. Pſal. 24

Et ut ſciremus eſſe propriè dicta peccata, *Quod genus delictorum,* inquit, *ſi non imputaret Deus juſtus, non ea ſibi dimitti poſceret homo fidelis.*

Sed tamen cauſam imputationis talium peccatorum ſemper refert in peccatum originis, in cujus pœnam magnâ illâ luce, qua omnia legis naturæ præcepta clariſſimè cognoſcebantur, privati ſumus, ſuperſtite ſolum *quadam velut ſcintillâ rationis, in qua ad imaginem Dei facti ſumus.* Quia enim commeriti ſumus, ut lux illa primitiva in nobis extingueretur, ſecundum profundas & tremendas æternæ ſapientiæ leges, quodcunque malum in tenebris iſtis ignorantiæ, etiam invincibilibus committimus, nobis imputatur ad culpam. Ac ne exiſtimaremus Auguſtinum tantùm loqui de ignorantia legis naturæ vincibili, apertè ſæpiſſimè utramque ignorantiam diſtinguit. *Per hoc inexcuſabilis,* ait alibi, *eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis; ſive qui novit, ſive qui ignorat, ſive qui judicat, ſive qui non judicat. Quia & ipſa ignorantia in ijs qui intelligere noluerunt* (ecce ignorantia vincibilis) *ſine dubitatione peccatum eſt: in ijs autem qui non potuerunt* (en ignorantia invincibilis) *pœna peccati eſt. Ergo in utriſque non eſt juſta excuſatio, ſed juſta damnatio.* Idem lib. 21. c. 24. Civit. Idem Epiſt. 105.

Cùm verò intelligeret, ſibi objici poſſe illud Apoſtoli, *Deus illis manifeſtavit &c. ut ſint inexcuſabiles*; ubi à contrario ſenſu videtur ſequi, Philoſophos illos Gentilium fore excuſabiles, ſi non fuerit ijs manifeſtatum, pulchrè & ingenioſè diſſolvit iſtum nodum. *Ideo autem,* inquit, *divina eloquia eos inexcuſabiles dicunt, qui non ignorantes, ſed ſcientes peccant, ut ſecundum judicium ſuperbiæ ſuæ,* Rom. 1. Idem Epiſt. eadem.

quo multum confidunt de viribus propriæ voluntatis, ſe inexcuſabiles videant: quia de ignorantia iam non habent excuſationem, & nondum eſt iuſtitia, cui præſumebant ſufficere voluntatē. Vnde ignoranter peccantes non ſunt omniuo re verâ excuſabiles apud Deum, ſed tantùm proprio judicio. Superbia enim ipſorum ijs ſuggerit, Si ſciviſſemus hoc eſſe peccatum, vitaſſemus: qua excuſatione jam carent, ubi manifeſtum eſt illis, peccatum eſſe, & tamen non vitant.

Idem Epiſt. 154. Deinde apertè alibi: *Si quis bonum putaverit eſſe, quod malum eſt, & fecerit, hoc putando utique peccat. Et ea ſunt omnia peccata ignorantiæ, quando quiſque bene fieri putat, quod malè fit.*

Peccata verò vincibilis, ſeu culpabilis ignorantiæ, non erant tam ſtupidi ut negarent Pelagiani. Imò diſertè fatetur dux eorum Pelagius, *Hominem pervigilare debere, ne ignoret: ideoque eſſe culpandam ignorantiam, quia id homo neſcit negligentiâ ſuâ, quod adhibita diligentia ſcire debuiſſet.* Hoc verò Auguſtno non ſufficit. Vnde doctrinam dilatans: *Aliud eſt*, inquit, *non curaſſe ſcire, quæ negligentiæ peccata, etiam per ſacrificia quædam legis videbantur expiari; aliud intelligere velle, nec poſſe, & facere contra legem, non intelligendo quid fieri velit. Vnde admonemur à Deo petere ſapientiam.*

(Apud Auguſt. cap. 17. de nat. & grat.)

Igitur vincibilis ignorantiæ peccata, ſunt potiùs negligentiæ peccata: ignorantiæ verò propriè dicuntur, quando illa eſt invincibilis; modò tamē lex quę invincibiliter ignoratur, ſit talis, cujus ſcientiam (ſi nullum peccatum originale fuiſſet) habuiſſemus; id eſt lex naturæ, cujus adhuc unam *ſcintillam non penitus extinctam* retinemus,

(S. Aug. lib 22. cap 24. Civit.)

Hæc autem propriæ ignorantiæ peccata perinde non intelligebant, ſed æqualiter cum peccato originali reijciebant Pelagiani, plauſibilem humanæ rationis umbram,

bram, & Ariſtotelem ſecuti. Ait enim iſte, *Legiſlatores punire eos qui mala perpetrant, ſi tamen neque vi coacti ea egerint, neque per ignorantiam, cujus ipſi cauſam dederint.* Ariſtot. lib.3 c.7 Ethic.

Vnde cùm Pelagiani capere non poſſent, quomodo ignorantiæ legis naturæ cauſam dediſſemus peccando in primo parente, negabant etiam juſtiſſimum Legiſlatorem Deum peccata invincibilis ignorantiæ juris naturæ poſſe hominibus imputare.

Sed ſi ipſi & Ariſtoteles crediſſent (quod per Dei gratiam facimus) peccatum primi parentis fuiſſe commune totius naturæ, & perinde nos culpam ac pœnam per illud incurriſſe, ac ſi noſtrum eſſet perſonale, profectò fortaſſe non fuiſſent tam duri in reijciendis peccatis illius ignorantiæ, cujus licet cauſam propriâ voluntate non dederimus, dedimus tamen alienâ, quæ quodammodo etiam erat noſtra, quia totius naturæ. Vnde *quoniam natura humana peccando deſeruit juſtitiam*, ait S. Anſelmus, *ad peccatum illa imputatur impotentia, quam ipſa peccando ſibi fecit. Nec ſolum impotentia iuſtitiam habendi, ſed etiam IMPOTENTIA ILLAM INTELLIGENDI.* S. Anſel c.27. de concor. grat.

Nam ſi excæcatio, quæ non ex peccato originis proximè venit, ſed ex novo peccatorum actualium gurgite, cui homo ſe ſponte immerſit, non excuſat à peccatis, quæ per cæcitatem illam committuntur; neſcio, cur tantopere miremur, commiſſa per cæcitatem originalem à Deo imputari. Si enim flagitioſiſſimus aliquis Heliogabalus, aut Sardanapalus, extinctâ omni luce divinæ gratiæ, in altiſſimis tenebris à Deo deſertus, peccat tamen licet ſe peccare per cæcitatem neſciat; cur Plato, Ariſtoteles, Zeno, Epicurus, & tot alij Philoſophi ſcortatores non itidem peccent, etiamſi ſimplicem fornicationem, per cæcitatem peccato originis contractam, peccatum eſſe & Deo diſplicere ignorent? Nam ſi ſufficiat ad impunitatem & innocentiam, ut aliquâ

aliqua ratione quæ ipſis videatur probabilis, contra legem naturæ committant, plurima eorum & graviſſima delicta excuſatum imus, & cæcitatem, quam SS. Patres ingentem & horrendam culpæ originalis pœnam appellant, in magnum beneficium jam deputare oportebit. Nam, ut eruditiſſimus S. Pauli interpres, *Lumen naturale rationis ita peccato fuit obnubilatum, ut multa quæ peccata ſunt, non putarentur eſſe peccata; multa quoque levia putarentur, quæ gravia ſunt.* Additque, *paucos per ſolam naturæ legem, nec niſi imperfectè, cognoviſſe peccatum, tam quatenus Dei offenſa, tam quatenus repugnat rectæ rationi.*

G. Eſtius Rom 3. v. 20.

S. Chryſ Hom. 12 in 1. Cor. 4. Hinc Chryſoſtomus: *Sapientibus Gentilium ſcortari neque flagitioſum, neque malum videtur. Vnde nemo externorum Legumlatorum hoc punivit, neque inde in judicium traxit; ſed ſi quiſpiam hac cauſa in judicium aliquem vocaret, riderent multi.*

Omnes igitur iſti ignorantiâ invincibili legis naturæ excuſabiles erunt; quia, ut minimum, rationes ſuo & Legumlatorum, ſapientiſſimorum inter eos, judicio probabiles, cur id licitum ſit, prætexent.

S. Aug. c. 67. de nat. & grat. Non excuſat tamen Auguſtinus. Nam *approbare falſa pro veris, ut homo erret invitus*, inquit, *&* *reſiſtente atque torquente dolore carnalis vinculi* (concupiſcentiæ) *non poſſe à libidinoſis operibus temperare, non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati.* Vnde pari paſſu & ratione peccata ignorantiæ invincibilis juris naturæ, & peccata concupiſcentiæ ambulant. Vtraque viribus noſtris evitare eſt impoſſibile, viribus gratiæ illuminantis cæcitatem, & refrenantis concupiſcentiam, poſſibile; unde nec ſimpliciter dici debet impoſſibile. Nā, ut præclarè S. Thomas, *quando natura inferior poteſt aliquid diſponere, vel qualitercumque operari, non dicitur impoſſibile ſimpliciter, quamvis non poſſit perfici, niſi divinâ operatione: ſicut non dicimus eſſe impoſſibile ſimpliciter, prolem in materno utero*

S. Tho. q. 14. a. 11 verit.

animâ

animâ rationali animari. Similiter quamvis liberatio à peccato
fiat operatione divinâ; quia tamen ad hoc liberum arbitrium
cooperatur, non dicitur eſſe impoſſibile ſimpliciter. Et ſuccin- S Aug.
ctè ac nervosè S. Auguſtinus: *Poteſtne ergo ei cauſæ* (in- c 67. de
ducenti ad peccatum) *quæcumque illa eſt, reſiſti? Poteſt* nat. & grat.
planè. Nam in hoc adiutorium poſtulamus, dicentes, Ne nos in-
feras in tentationem. Quod adiutorium non poſceremus, ſi re- S. Tho.
ſiſti nullo modo poſſe, crederemus. Et iterum S. Thomas: q. 24. a. 12. de
Sicuti dicitur in 3. Ethic, Ea quæ per amicos facimus, aliquali- verit.
ter per nos facimus. Et ideo liberum arbitrium poteſt habere
electionem & conſilium, non ſolùm de illis ad quæ ſufficit pro-
pria poteſtas, ſed de illis ad quæ indiget divino auxilio.

Nec, quia novo auxilio oculos aperiente, infirmitatem ſanante opus eſt, poſt peccatum orginale, ideo leges homini videnti & ſano datas, Deus mutare debuit: veluti leges & modum propagandi naturaliter ſpeciem humanam, nutriendi conſervandiq; individuū non mutavit. Adamantinæ & inflexibiles ſunt naturæ leges, nec hominum mores ſequuntur, ſed ſive recti, ſive pravi ſint, illę eundem ſemper rigorem & rectitudinem ſervant. Vt, exempli cauſâ, lex naturæ eſt, ut creatura intellectualis amet ſuum Creatorem. Angeli & homines recèns conditi facillimè hoc poterant; in peccatum iam delapſi, niſi Deus novas gratiæ vires addat, non amplius poſſunt. Eadem tamen naturæ lex inflexa manet, & clamare perſeverat, amandum eſſe Creatorem. Si vires deſint, creatura ſibi, non Creatori imputet, quia perdidit eas per peccatum. Reddit tamen quibuſ- Pſalm.
dam Deus, quibuſdam negat, qui negare poterat om- 100.
nibus, ut *Miſericordiam ei cantemus & judicium.*

Ceterùm, ut finiamus, S. Auguſtini ſententiam de ignorantia invincibili juris naturæ à culpa non excuſante, præter ceteros acriter & reſolutè defendit Greg. Ariminenſis, inter S. Auguſtini diſcipulos non ultimus.

Arim.2. d. 29. q. 1. a. 2. Cum dicitur, inquit, *quòd ſecundum omnes Doctores, non imputantur homini quæ ex ignorantia ſimpliciter invincibili committuntur, Dico quòd illud eſt intelligendum de ignorantia quæ non eſt peccatum, nec pœna peccati, cujus ille ſit, vel fuerit reus. Nam ignorantia quæ provenit ex peccato, nequaquam excuſat, ſaltem à toto.* Et explicat in peccato commiſſo per invincibilem legis naturæ ignorantiam, quæ eſt peccati originalis pœna. Nam *ſi non peccaſſemus in Adamo, nullus*, inquit, *hanc ignorantiam habuiſſet, & ideo neminem excuſat.*

Quod etiam ſentire videtur S. Thomas. *Conſiderandum eſt*, ait, *quòd tunc ignorantia culpam excuſat, quando ſic procedit & cauſat culpam, quòd non cauſatur à culpa. Sicut cum quis adhibitâ diligentiâ debitâ, dum credit percutere hoſtem, percutit patrem. Si verò ignorantia cauſetur ex culpa, non poteſt ſubſequentem culpam excuſare. Vnde ſi quis per ebrietatem homicidium committit, non excuſatur à culpa, quia peccavit ſe inebriando.* S. Tho Rom. 1. lect. 7.

G. Eſtius 2. d. 22. §. 14. Inter recentiores verò Scholaſticos idem quoque ſuſtinet G. Eſtius, additque Innocentium, Adrianum, & Cajetanum conſentire.

Sed nónne, ut peccatum ſit voluntarium, oportet in eo per intellectum apprehendiſſe malitiam?

Cajetanus & Eſtius docent, ſufficere, ut intellectus proponat voluntati rem per ſe malam, jure naturæ prohibitam, & voluntas eam liberè amplectatur. Sic enim radicem proximam malitiæ per ſe amplectitur, etſi malitiam ſolùm per accidens. Quod nihil videtur referre, quia ad actum malum non eſt neceſſe, ut malitia ipſa objecti ſecundum ſe terminet voluntatis amorem.

Cajet. 1. 2. q. 76. a. 4. Hæc ergo peccata ignorantiæ legis naturæ *ſunt voluntaria in ſeipſis, per ſe & directè*, ait Caietanus, *non ſolum materialiter, ſed formaliter, ſecundum converſionem ad obiectum; quamvis ſecundum contrarietatem ad virtu-*

tem

tem, indirectè & per accidens ſint voluntaria. Gentiles namque neſcientes ſimplicem fornicationem eſſe peccatum, voluntariè conſentiebant in actum cognitionis mulieris non ſuæ uxoris, unde ſumitur fornicationis ſpecies; quamvis fortè aliqui eorum ſi ſciviſſent eſſe peccatum, non feciſſent. Et hoc modo Paulus conſenſit in mortem Stephani, confitentis Ieſum Nazarenum, unde ſumit peccatum ſpeciem; quamvis non niſi per accidens conſenſerit in contrarietatem illi actui intrinſecam, quam ſi cognoviſſet adeſſe, non conſenſiſſet actui: & ſimile eſt de alijs.

Et profectò, ſi ad malitiam actûs voluntatis requiratur, ut intellectus ſemper voluntati formalem malitiam aliquam objectivam repræſentet, ſanè plurimi graviſſimi peccatores, & præſertim illi quos Deus & propria malitia excæcavit, diutiſſimè, nec tantum per horas & dies, ſed menſes & annos, per omnia flagitia, ſine formali peccato, quod ijs Deus imputare poſſit, ſe volvent; quia voluptatibus ſuis & earum cogitatione ebrij, ne ſemel quidē ad malitiā ullā intellectum reflectunt. Alij verò, etſi aliqua interdum malitiæ ſuſpicio intercurrat, levem tamen, & pęnè ludicram exiſtimant. Vnde ſi pro menſura æſtimationis malitię, quam intellectus repræſentat voluntati, ponderanda ſit peccatorum gravitas, leviſſima & ferè nulla erunt, quæ tamen graviſſima à prudentibus æſtimantur.

Videtur ergo, quòd ſicut ad peccata contra legem naturæ committenda, quæ non tantùm in ſua cauſa, ſed etiam in ſe ſunt vera & formalia peccata, non ſemper & continuò requiritur advertentia ad formalem peccati malitiam; ita quoque poſſit formali peccato in legem naturæ peccari per ignorantiam malitiæ invincibilem, & cæcitatem, quam Deus nobis inflixit

per propriam, vel originalem culpam. Niſi Sacroſancta Apoſtolica Sedes aliter judicet, cui, tanquam filij obedientiſſimi, omne noſtrum humillimè ſubmittimus judicium.

FINIS.